LAZARI BONAMICI BASSANENSIS CARMINVM LIBER.

Coll. Rom. societ. Jesu.



Venetiis, Apud Ioann. Baptiſt. Somaſchum.
M D LXXII.

6. 23. K. 7

ALEXANDER FERRATIVS ALEXANDRO CAMPESANO

LAzarus bis adſum, ſur uis reuocatus ab umbris

Grati animi cura, uere & amantis ope.

Campeſane mei tantus te ne impulit ardor,

Vt Stygias etiam quærerer inter aquas?

Dii tibi dent tali quantum pietate mereris;

Qui nos, qui noſtra hæc eruis è tenebris.

ILLVSTRI
COM. ALFONSO
BECARIAE.

Ioan. Bapt. Somaſcus. S. P. D.

Familiæ tuæ claritas, & tui ipſius in omni uirtute uerè nobilitas, ſingulariſq. humanitas, qua te homines ubique & colunt, & prædicant, effecit, ut ego, qui te adhuc tantùm aliorum ſermonibus cognoui, iamdiu cogitarem quo nam pacto propenſæ cuiuſdam erga te uoluntatis meæ ſignum aliquod præberem. tandem, cùm nuper in manus meas incidiſſent carminum libri duo celeberrimi in omni Gymnaſio Lazari Bonamici Baſſanenſis, hosque typis meis impreſſos ſim editurus, exiſtimaui, ſi illos tibi dicarem, qui, ut audio, & iis delectaris, oportunè ſatis me uoluntatem meam declaraturum fore. Eſt quidem exi

guum munus ſi per ſe ipſum ſpectes, ſi autem ex meo deſiderio hoc metieris non paruum. Quid enim aliud me deſiderare exiſtimas? niſi ut perpetuò uiuas tu, quem uideo patriæ noſtræ maximo eſſe ornamento; in te enim maiorum tuorum nobilitatis ſplendor enitens opere tuo adeò refulget, ut æquè tu eorum lumine, & illi tuo colluceant, & illuſtrentur. Quare nos tui conciues te ciuitatis noſtræ ueluti fulgentiſsimum lumen, & uenerari debemus, & tui nominis æternitati ſtudere. Id ego ut poſſum efficio, & in poſterum in quacunque re potero, ſum abundè facturus. Vale. Venetiis, Kalend. April. 1572.

LAZARI BONAMICI
BASSANENSIS
CARMINVM
LIBER.

Hippolyto Medici Card.

MAGNE pater claro Italiæ de ſanguine, toti
Vnde ortum Europæ decus ingens COSMVS, & ille,
Ille orbis laus immenſi, ſimiliſq; deorum
Qui primus Graias longo iam tempore uiſas
Aonio muſas deduxit uertice ad Arni
Flumina; conquirenſq; omnes uirtutibus aptos
Vndique, florentem ſtudiis conduxit in urbem.
Hinc & Pontifices, pater hinc tuus optimus ortus
Maxime nunc Romæ antiſtes, quo ſoſpite nunquam
Non Phœbo, Muſiſq; ſui tribuentur honores,
Cum ſis LAVRENTI, COSMIQVE è ſtirpe creatus,
Et uerum illorum referas genus, ô tibi tantum
A curis oci, rebuſq; ſuperſit agendis,
Vt poſsis animum noſtris intendere dictis,
Quæ monitu aſſerimus Phœbo dictante fideli

Aſpice

ASPICE perpetua quam ſit redimita corona,
Aggeribuſq; altis pariter munita, mariſq;
Obiecto gemini uallo latrantis utrinque
Italia, haudquaquam tali munimine tuta
Tantum odiis miſeri per mutua uulnera noſtris
Concidimus, ſæuo inuidiæ iactamur & æſtu.
Hinc & ab occiduis, quà Sol ſeſe occulit, undis
Vidimus undantes acies; hinc agmina mille
Regnet ut Auſoniis miſit Germania terris.
Nec bello ſegnis Gallus, diteſq; Britanni
Non ſunt, ſi poſſent Italis dominarier oris
Experti: turmas equitum, peditumq; phalangas
Conduxere, auſi contra ſe opponere Marti
Cæſaris Italiæ tamen adnituntur utrique
Viribus, atque armis, quibus inſuperabilis illa
Eſt ſine, nec timet externos ſecura tumultus.
Quis clades fando enumeret? ferroq; ſubactas
Ingentes urbes: direpta, incenſaq; tecta
Ereptamq; pudicitiam, obductaſq; puellas?
Non tutæ templis matres, non filia tuta
Nubilis, adcurrens miſera ad ſimulacra deorum.
Non tuti diui; Mars impius omnia cæde
Miſcuit, & nobis crudeliter omnia prædo
Abſtulit. O duros Italos, ò pectora cæca
Tantumne in patriam committitis? illâne tantis
Victa malis ſeruare diu uos, ueſtraq; cuncta
Inſani poterit? ueluti quæ nauis in alto

Tur-

Turbinibus perculſa trahet, quò deſeret illam
Tempeſtas; & uos uim uentis additis ipſi.
Quot periere duces: quam fortis miles ab Arcto,
Oceanoq; procul, claros quà fluctus Iberos
Irrumpens præda inſigni ſeiungit ab Afro
Quemq; potens arcu, pictoq; Britannia curru,
Quemq; minax, grauibuſque fremens fulgentibus armis
Gallia diues opum, diues pecorumq; uirumq;
Miſerat; Italiæq; etiam flos excidit omnis,
Quo poterant hoſtem communem pellere regnis
Europæ, atq; Aſiæ, terrarum & parte potiti
Eximia, æternis ſeſe decorare triumphis.
Inq; has pernicies argenti pondus: & auri
Quis referat? pro ſe quod quondam exegit acerbè.
Quiſq; ſuos; regum quis; Pontificumq; labores,
Et curas animi? pro Iuppiter omnia ſi quis
Non dico hæc, ſed particulam inſumpſiſſet, ut almæ
Pacis, & ingenii æternum florentis in æuum
Florerent artes, cæleſtia munera diuum,
Ille ut auus tuus, ille atauus meliora ſecuti
Diuinis animis fuere prioribus annis,
Et laudem Græcis, & reſtituere Latinis;
Quàm tu illuſtreſq; uiros, arteſq; decoras
Quas urbes: quæ tecta: deum quæ ſurgere templa
Italiæ decus, & noſtris ſpes unica rebus
HIPPOLYTE aſpiceres: læta omnibus omnia terris.
O utinam tibi ſit uolenti talia claros.

Ma-

Maiores imitari; & auita creſcere laude,
Summorumq; patrum ſplendorem inducere rebus;
Ut te admiretur poſito Germania tanto
Irarum motu, nobis iam mitis, & æqua
Et uelit antiquis decreta audire deorum
Ritibus in uera ſtans relligione parentum;
Hoc etenim, ſolis quibus omnia poſſumus armis,
Vincemus, non tot peditumq; equitumq; cateruis,
Non regum auxilio, aut docti ſermone libelli;
Sed purum implentes cæleſti pectus amore,
Elatiq; humili cæli ſuper ardua mente,
Viuendi ſi rectè aliis exempla feramus.
Si Romam gentes omnis uocet æmula uirtus
Priſci mores, & amiſsi reparentur honores;
Si redeat per te muſis comitatus in urbem
Pulcher Apollo, feratq; ſimul ſua præmia Pallas;
Septem hoſpes cinctam ut ſi quando inuiſerit urbem
Collibus, Arctois ueniat ſeu finibus: Auſtri
Seu partes tepidi, diteſue relinquat Eoos;
Faucibus Herculeis Romam ſeu tendat ab arctis,
Non cademiam, non ſacri rura Lycei
Malit, ubi ingenuas uitam excoluiſſe per artes
Et iuuet, & patrem iubeat, patriamq; ualere;
Et pater, & patria haud ciuem, natumue requirant,
Nomen at Hippolyti ceu ſanctum numen adorent.
O tibi quæ tanto reddent pro munere uates,
Quæuè oratores facundo pectore. non te

Qui

Qui Gades habitat procul hinc, non neſciet Indus,
Non duplici, ac gelido premitur quicunq; ſub axe.
Sed paſſim septem reſonabunt nomina colles
HIPPOLYTI: extremas longè & penetralis in oras
Quaq́; per obliquum fertur Sol aureus orbem,
Atq; olim ignotas illuſtrat lampade terras,
Frigoreq́; aduerſas torpentes reſpicit urſas,
Quaq́; oritur surgens, & qua declinat in undas
Semper honore: noua semper celebrabere laude.
At poſtquàm cunctas impleris nomine terras,
Accipiet Deus in cœlum, aſtriferaq́; locabit
Pro meritis tantis in sede, deumq́; uidebis
Concilia, æterno cumq́; his uersaberis æuo.
HAEC Phœbus Muſis, Muſæ iuſſere poetam
Pandere, cum poſſis uirtutem extollere in altum.
Si modo fortuna diſcas sapientius uti,
Quàm Reges, nigra mentem caligine tecti.

IO. MATTHAEO
GIBERTO EPISCOPO.

IAM nix in liquidas canis de montibus vndas
Liquitur, & rigidi Boreæ furor Inæthere ceſsit,
ſinuanſq; almis Zephyrus ſe molliter auris
Perflat in amplexus telluris; at illa repentè
Cæleſtes ubi concepit fœcunda calores,
Parturit; vmbroſis crinitur frondibus arbos,
Et ſurgunt pictis pubentia gramina campis
Nonnè uides? uariis ſubrident floribus horti,
Quos circùm uiolæ, ferrugineiq; Hyacinthi
Funduntur; calyceſq; comis diſcludit odoris
Vere roſa exultans primi ſub lumina ſolis.
Iamq; ſuis properant obiiſſe negotia curis
Omnia; & ignauæ propulſant ocia uitæ.
Ecce thymum perquirit apis, roremq; matinum,
Nunc hoc, nunc illud peragrans nemus, arteq; mira
Anfractus molli è cera diducit, & intus
Diſtendit liquido manantia nectare mella.
Sedula iam denſa feſtinat in arbore nidos
Ponere auis, caros vt quondam educere natos
Poſsit, & ardenti repetit loca ſæpe uolatu,

Frondoſiq́; alta nemoris Philomela ſub umbra
Dulce querens tenui permulcet gutture ſiluas;
Littoraq́; Halcyones geminatis queſtibus implent.
Albus olor per colla modos dat longa canoros
Propter aquam, gaudens uiridantis germine ripæ.
Iam procul à ſtabulis ducunt armenta, gregesq́;
Paſtores, montesq́; petunt, & paſcua nacti
Herbida, proiiciunt læti ſe in gramine læto,
Argutumq́; caua modulantur arundine carmen,
Quorum alius duros queritur maleſanus amores.
Contra alius placidæ decantat dona puellæ,
Reſponſant quibus antra eadem, uallesq́; ſupinæ,
Mugitusq́; ciet paſcens ad carmina taurus.
Nauita iam ſiccas deducit in æquora naues;
Explicat & vernis ſinuantia carbaſa uentis.
Quod ſi plena auris nunc pandit uela ſecundis,
Et latum trabe nauta caua deſcendit in æquor.
Sibila dat paſtor ſeptem deducta cicutis,
Si raucum niueus nemoroſa ad flumina cygnus
Concinit; Halcyones fundunt per littora cantus;
Attica populeos inter Philomela receſſus
Obſtrepit, & uolucris ſuſpendit in arbore nidos.
Ipſæ etiam paſtæ flore aluearia circum
Taurigenæ meditantur opus cæleſte uolucres,
Omnia ſi repetunt grato intermiſſa labore
Feſtinantq́; ſuis percurrere munera curis,
Cur uati non turpe, decus GIBERTE ſalusq́;

 Nominis

Nominis Auſonii, hoc non tempore dicere carmen?
Et tibi qualencumq; ſuam exercere camænam,
Qui facis ut cuncti poſsint tibi ludere uerſus.
Hinc igitur noſtris percuſſæ uocibus altæ
Conualles, ſyluæq; omnes, fonteſq;, lacuſq;
Gibertum, atq; iterum Gibertum, auræq; ſonabunt.

GASP. VRS.
VELIO.

LONGVM poſt tempus mihi dulcis Epiſtola tandem
Reddita, quæ Vrſini teſtata eſt pectora docti,
Pectora mellifluo Muſarum plena liquore,
Seu tempeſtatem turbantibus omnia uentis
Inuidiæ, miſeras quæ ſeſe effundit in aulas
Fortunatorum, ſyrteſq;, ſinuſq; latentes
Dicat, & inſauos moneat uitare tumultus;
Tranquillæ contra ſeu ſcribat ut ocia uitæ
Ducantur; ſi quis contentus uiuere paruo
Magna petat, ueraſq; & nulla labe caducas
Quærat opes, ſuperis æquans ſe (qua licet) ipſis.
Horum ſi in numero rectè me ponis amice,
Ipſum etiam (ſi fas) uidear ſuperare tonantem;
Ne dum fortunas Regum, mens anxia quorum
Huc illuc rapitur, curarum turbine cæco
Et cædes, & ſtupra agitantes corde feruntur

Quocunq;

Quæcunq; inſtabiles trahit imperii ſalebris,
Et fortunam horum tamen admiramur inepti.
Purpura ſed ſi quæ tegit, & gemmata tiara
Proferat, inq; aliquis Deus illa exponat aperto,
Sæpe uolutabris rediens ut conſpicitur ſus,
Sic illi immundo ſordeſcant undiq; cœno.
Diſsimiles Regum; quorum iam uidimus artes
Pacare Italiam, ueſtras componere lites,
Moliri aduerſus bellum lachrymabile Turcas.
Quos ego ſi quando mediis Germania campis
Armipotens, Aſiæ uictricia caſtra locarit,
Conſtituens magnum communi ex hoſte trophæum,
Non patiar noſtris, Graiisq; aboleſcere chartis.
Et tibi me ſocium adiungam, ſimul auia montis
Parnaſsi, ſimul & luſtrabimus omnia prata,
Carpentes geminas ſelecto ex flore coronas.
Interea antiquæ Pataui conſedimus urbi.
Inter Ariſtotelis ſyluas, doctiq; Platonis,
Inter ab Arpinis currentes fontibus undas.
Et modo tractamus fortis Demoſthenis arma,
Nun audire iuuat cantantes carmina cycnos,
Propter aquas Smyrnes, propter uaga flumina Minci,
Curantes ſolum, quo ſe ſtudioſa iuuentus
Perculſa ingenti famæ, & virtutis amore
Eximat è uulgi tenebris, cæliq; per auras
Vecta Deûm degat felicem nectare uitam,
Quod decet exoptans; naturæ arcana retexens,

In queis nemo mihi potior, ſublimia primum
Quem iuga Parnaſsi cupiam conſcendere, noſter
Quàm LOGVS, ingenio cum ſit ſpectabilis acri,
Candentiq; fide, tua cum perfuſa lepore
Dulciſono hunc tantum commendet epiſtola nobis.

CAROLO CAPELLO.

CVM tua percurrens curſu vada ſalſa ſecundo
Appulit ad parui Iouis incunabula puppis,
Quid tibi uiſa ſitus facies, terræq; mariſq;?
Quid cælum ſtudiis muſarum ardentibus aptum?
Inde ubi te inſignem ſceptro excepere frequentes,
Atq; domum celebri comitatu turba reduxit.
Quæ tibi mens; quæ tum cura occurſauerit ultrò
Scire uelim, num ſis hæc tecum uerba locutus.
Hæc eſt Creta Iouis quondam fidiſsimà cuſtos.
Hæc ſunt illius quondam iuſtiſsima regna.
Vmbris qui meruit dare iura ſilentibus; hæc eſt
Terra antiqua, meæ patriæ, tam multa miniſtrans.
Hinc ego præceptis impleui pectora doctis;
MVSVRVM puer audiui dum ſæpe canentem,
Muſurum, Muſis quo nemo carior ipſis
Vocibus Italiam docuit reſonare Pelasgis.
Sum ferus, hic niſi ſim recti, pietatis, & æqui
Obſeruator; & huc reuocem Minoia iura,

Qua

Qua licet, hoc & propoſito ſim fixus in uno;
Ni bona, quæ poſſim, Cretenſibus omnia curem.
Hæc tecum, hisq; etiam multo te plura locutum
Eſſe reor; tacito dum corde arcana uolutas
Quæq; Academiæ ſcrutata eſt, quæq; Lycei
Docta cohors: & quæ diuino numine uates
Afflati cecinere, Deus cum ſanguine noſtrum
Eluit & ſcelus, & cæleſti in ſede locauit.
Dignum ita te imperio Cretæ præſtabis, erisq;
Ciuibus Adriacis nec non Cretenſibus, & diis,
Et carus tibi: nam cunctis benefacta probantur.
Noſſe etiam cupio loca; quæ iam inuiſeris, an te
Ambages labyrinthi, & inextricabilis error
Ceperit, atq; Idæ luſtraueris ardua montis,
Dictamum carpens, & olentem cedron: ab udo
Miratus paſſim manantes uertice fontes
An tibi librorum ueterum preticſa ſupellex
Parta ſit, Attalicæ uere anteferenda, nec auro
Aequanda, ingeniis quando hæc inuenta colendis.
Num quod opus, quod Praxitelis uel docta Myronis
Finxerit, educens uiuentes dextera uultus,
Inuentum, aut ſi forte alia ornamenta locorum,
Quæ Muſæa uocant Muſarum ex nomine Graii,
Qualia Medoaci ad ripam fundauimus ipſi
Vicinam triplicis Pataui ſub mœnibus urbis
Et non inuitas Muſas huc ſæpe uocamus,
Talibus ornari, & tacito quaſi murmure poſcunt.

Deniq;

Deniq; quis rerum ſtatus omnium amice tuarum
Nunc tuus, ex te ipſo Bonamicus ſcire laboro.

BENEDICTO RHAMBERTO.

DVM Venetùm Secreta animo Rhamberte uolutas
Quæ mollem imperii tantam terraq; mariq;
Suſtentant, patriumq; decus maioribus augent,
Dumq; tuum nomen longos extendis in annos
Regibus expromens doctis hæc omnia chartis,
Me mea rura tenent, ſemper gratiſsima rura,
Sed tunc grata magis, quoties uer fundit odores,
Temporaq; arrident cælo diffuſa ſereno:
Hic ego dum curas aueo deponere amaras,
Reddere meq; mihi, uitam præſtare beatam
Quid queat, aduerti, modo quis procul urbe relicta
Rura colat, ſtudiisq; animum delectet amœnis.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
ERRABAM uacuus depreſſæ collibus altis,
Qua ſe ſubiiciunt ualles, ac florida circum
Prata rigant liquidi fontes ſalientibus undis,
Ecce mihi auditur ſublatus ad æthera cantus
Paſtoris tremula recubantis molliter umbra
Cui reſpondebant cantanti hæc concaua ſaxa.

QVID datur à Diuis melius mortalibus ægris,
Quàm bona, quæ pariunt paſſim lætiſſima rura?
Hic hominum primi vitam incoluere beatam,
Cum placidam nondum turbarent prælia pacem,
Nec caderent miſeræ crudeli cæde phalanges.
Huc etiam Diui deſcendere non dubitabant,
Horrida nec puduit ſeſe demittere in antra,
Incertoq; gradu nitidos errare per agros,
Atq; humiles alto terras præponere cælo.
Nec mirum, uultu læto cum dia uoluptas
Suppeditet nobis bona gaudia tempore in omni,
Cum uariis tellus redimitur floribus, & cum
Arboribus uirides redeunt per brachia frondes,
Atq; auium dulces cantus nemora auia complent.
Quin etiam ſpectare iuuat flauentibus aruis
Vndantes ſegetes, iuuat & conſidere in umbra.
Tum pater Autumnus decerpit mitia poma,
Et iuuat in mediis niuibus uenarier apros.
Quid ſimile attulerint urbes? latet urbibus altis
Curarum genus indomitum, duriq; labores.
Hunc leuis ambitio exagitat, nocteſq; dieſq;
Omniaq; euertit iucundæ commoda uitæ.
Eſſe poteſt quid enim damnoſius ambitione,
Aut quod diſcruciet magis, aut mage ſit fugiendum?
Illum diuitiis uideas inhiare repertis,
Sub pedibuſq; Deûm ſubſternere relligiones,
Pluribus ut terram fœcundam uertat aratris,

 Et

Et colat auratas ædes, ſtratisq; recumbat,
Quæ Tyrio tinxit conchylis purpura fuco.
Quid maris horrentes quoties tolerare procellas
Cogit auarities, quando dulciſsima coniux
Linquitur, & dulces nati, quos cura fatigat,
Ne pater infelix ſpumantibus occubet undis?
Præterea armatas acies concurrere cernas,
Seditio quoties ſtimulis accendit amaris
Commotas hominum mentes; queis lenius auſtri
Sæpe ruunt, uaſtiq; cient fera murmura ponti.
Tutius ah quanto eſt Syluas uerſarier inter,
Horribilesq; feras, quàm diras ſeditiones.
At non hanc rabiem nobis bona rura tulerunt
Queis natura parens æquos partitur honores,
Ne ſòcio inuideant alii, quoniam altior illum
Tollat honos, ſolioq; inſignem exornet eburno.
Ruris opes uarias, cumulat quas prodiga tellus,
Quis memorare queat? non ſæuum trans mare naui
Cogimur in dubia peregrinas viſere terras,
Et tempeſtati caput obiectare furenti,
Nobiſcum ſemper uiuit dulciſsima coniux,
Nobiſcum nati; faciles ſubiiſſe labores
Et iuuat, & lætæ traducere tempora vitæ:
Præcipue uero conuiuia ponere in vmbra,
Cum canis arentes rumpit latratibus agros,
Qua tenues ſpargit riuos argenteus amnis,
Securisq; animis ſomnos inſtillat inertes.

HAS

HAS ego paſtoris uoces poſtquam auribus hauſi,
Rhamberte, atq; animum ſenſi lætarier intus,
Commoda dum ruris meditatur cuncta beati:
Tunc mecum, aut felix nuſquam uitæ genus ullum,
Quo ſe mortales iactant; aut hoc erit unum.
Quod ſi quis diuina animi bona rure beato
His etiam addiderit, nihil eſt felicius illo,
Quæ poſſunt homines cæli & ſublimia templa
Erigere, & fama tandem donare perenni,
Aſsidue ueterum tractant dum ſcripta uirorum,
Sollicitas mæſto pellunt quæ pectore curas,
Et uirtute nihil demonſtrant pulchrius eſſe:
Quæ poſtquam elegit cæca caligine denſæ
Diffugiunt nubes radiis pulſæ rationis.
Felices quibus hunc uitæ decurrere curſum
Numina amica ſinunt; illis non anxia cura
Deprimit in terras diuinæ lumina mentis,
Sed ueluti in ſummo ſublati uertice montis,
Quem teneant tranquilla quies, atq; otia læta
Deſpectare queunt alios erroribus altis
Implicitos, rectæq; uiæ deflectere curſum.
O diuûm rarum munus Sapientia, quantis
In tenebris ſine luce tua uita ipſa uacillat,
Quinetiam rerum cauſſas ſcrutantur, & omnes
Diſpiciunt mundi partes, quos aurea curſus
Sydera conficiant, num ſempiterna manebunt,
An potius tenebris aliquando immerſa iacebunt;

Qua cauſſa maris unda tumet, rerumq́; tenetur
In medio ſuſpenſa graui ſub pondere tellus,
Has artes docto moderantur carmine muſæ,
Rura quibus ſecreta placent, colleſq́; beati
Concinere aſſuetæ frondenti Heliconis in umbra,
Hæ ſi cui uariis ornabunt tempora ſertis
Non illi in uita fortunæ tela nocebunt,
Et uaga contempto uolitabit fama ſepulchro.
Quòd ſi unquam optati huc tulerit me dextera fati,
Secernens populo, ac tranquilla in ſede locarit,
Diſperéam, ſi quid magis oblectare meum cor
Poſsit, & ad ſedes ſummorum extollere diuûm:
Non mihi ſi quis opes dederit, quas Africa latis
Fertilis effudit campis, quáſq́; India gemmas.
At uero in primis cuperem tot gaudia tecum
Percipere, & tecum ſpatium conſumere uitæ
Quod ſupereſt, cum ſis uita mihi carior ipſa.

PAVLO IOVIO
EPISCOPO.

DOCTE Ioui, qui res geſtas regumq́;, ducumq́;
Scribis, & ancipites pugnas ex ordine ubiq́;
Terrarum geſtas, hacq́; immortalis haberi
Arte cupis, multis iampridem exorſus ab annis,
Nec tibi deeſt lectis Latialis copia uerbis,

Si vere, ſi legitime, ſi laudis honores
Virtuti tribuis, uitioq; opprobria, nil eſt
Quod maius pæne: nam poſtera ſæcula diſcent
Propoſito exemplo fugienda, optandaue cuique,
Nos uero. vitam, & mores regumq;, ducumq;
Inſtruimus, quanam & ſolidis inuecta quadrigis
Attollat cælo iucundo gloria curſu.
Non ita ſunt anni multi, cum tempora circum
Funduntur: ſurguntq; arenti vertice cani,
Ardenti ſtudio quibus hæc conamur: & hoc eſt
Votum unum: una hæc eſt tacito ſub pectore cura:
Aſſequor hoc ſi forte, preces nec ſpernit Apollo,
Vt uirtus ſplendore ſuo tractata niteſcat,
Et ſubeat teneras mentes, fingatq;, prematq;,
Atq; ſui rapiens omnes incendat amore,
Te ſumus & maius multo, meliusq; daturi
Donum hominum generi: quid enim diuinius, alto
Quam rectam monſtrare viam; quæ ducat olympo?
Nunc demum hoc facimus, facere hoc quia poſſe uidemur.
Nec iuuit ceſſaſſe tamen; nec tempora vitæ
Incaſſum triuiſſe: bonam aut contemnere famam.
Sed me magnus amor ueterum perquirere ſenſus
Impulit, & ſcribenda notare; tacendaq; quaq;
Poſſem aliis prodeſſe via, & ratione; quod unum
Arbitror eſſe hominis: non tot conſumere chartas
Magno cum iuuenum damno, & plerumq; pudore
Scribentum, atq; ignominia, ſua ſi bene noſſent,

Iudiciisue

Iudiciiſuè alii ſcirent melioribus uti.
O utinam ualeam hæc præſtare, quibus grauida eſt mens
Iam mihi: nec terris inſiſtit, at imperat ire
Quò pauci uenere datis ſuper ardua pennis,
Quod mihi concedant Muſæ, concedat Apollo.
Ne damnes me ſcribentem nihil, & popularem
Auram curantem, uelut ægræ ſomnia mentis,
Neu me, cum tantum doceam, uerſumq; aliorum
Scripta, iuuentuti effundens præcepta Latini
Et Graii ſermonis, honeſtæ & plurima uitæ:
Neu me inquam dicas communes inter amicos
Nullum emiſſurum partum ſub luminis oras:
Et mihi me ſtolidæ curucæ more placere,
Quæ mea non ſunt mirantem; quin addis & illud.
Intra ſe clauſo pereunt ceu ſemine multa
In uentrem ut cucumis, creſcensq; cucurbita latum,
Sic noſtros intra morituros uiſcera fœtus.
Viuere per te igitur nequeam cum inglorius, ò dent,
Dent aliquid Muſæ proferre in luminis oras,
Suſpicione procul quod nos abducat inerti:
Aut certè tua quod compeſcat dicta lepore
Et dulci, & ſuaui, & nullius felle ueneni
Tincta; ſed antiquo more, & ſale plena, iocisq;:
Et teneant docti uel digna Helicone legentes.
Tum faciam Phœbo, & perſoluam uota camœnis
Purus ego, & pura ingrediens cum ueſte ſacerdos,
Ingenuus, niſi quà ſudor defluxerit, & quam

Si

Si forte intulerit maculam: ſed cætera mundus.
Viue, uale, perge hiſtoriæ pater optime noſtræ
Conſulere, æternum & producere nomen in æuum.

LOXANO.

CVM tibi quæ, Loxane, dedit natura benignè,
Et fortuna ſimul, tacito ſub pectore voluo;
Formam oris primùm præſtantem, deinde pu
dicam
Vxorem egregia facie, & florentibus annis,
Diuitiasq́; amplas, circundataq́; oppida muris:
Principum amicitias arctas, & mille bonorum,
Felicem duco nimirum, teq́; beatum.
At cum Muſarum doctas, & Apollinis artes,
Quas colis, & ſemper donis ingentibus auges,
Mecum agito, in numero tunc te reor eſſe deorum;
Nam dij mente uigent: nouerunt omnia diui,
Terrarumq́; ſolis ſe miſcent; omnia cernunt,
Inq́; dies meritis maioribus omnia complent.
Sol oritur nobis; ſol occidit, omnia cælo
Sidera labuntur; ſegetes, & commoda uitæ
Cuncta ferunt homini: uitales carpimus auras;
Deniq́; quodcunq́; eſt, ſuperùm ſtat munere nobis.
Ergo homines uerè diuùm genus, aurea quondam
Sæcula quos genuere illis felicibus annis,
Quiq́; arte ingenium exercent, quiq́; merentur

De nobis benè, perpetuum nec turpiter æuum
Ignaui degunt, & inertes; ſed decus una
In virtute locant; argenti pondus, & auri
Si quod habent, id habent Muſæq;, & Phœbus Apollo,
Atq; horum comites, quos tu Loxane ſecutus
Non ceſſas te hominum vitæ meminiſſe creatum:
Munera ab Arctois miſiſti maxima terris,
Et colis ingenuas ſtudiis ingentibus artes.
Ab Ioue nil maius: melius nil contigit ulli:
Ab Ioue nil poſſit, tibi ſi quo Iuppiter ipſe
Excellit, dederit, quicquam felicius eſſe.
Si modo te noris: tua ſi bona ſæpè uolutes,
Liber auaritia, & procul ambitione remotus,
Quorum mortales multos abſorbuit æſtus,
Coniuge cum pulchra perges traducere uitam.
Quod mentem hanc dederint tibi dii, tibi gratulor æquè,
Atq; homini dederint cuncta exoptanda. fruare
Teq;, tuisq; bonis, numeroſaq; tempora viuens.
Non tamen, ut nolis magni comes eſſe fidelis
Regis, & interdum mirari fortia facta,
Maxima quæ geret, imperium cùm proferet ultra
Pannoniam cum fratre, Aſiæq; uberrima regna,
His etenim tantùm reor hoc fatale duobus.
Interea uiridem exercens nunc ritè iuuentam
Gratior ò vtinam Regiq;, & Regis amicis
Suſcipias natos ſimiles, Loxane, parenti,
Hoc quoniam reſtat ſolum ex uxore pudica,
Quæ tecum Pylios ſuperans precor exigat annos.

MATTHAEO

MATTHAEO DANDVLO.

DVM procul à patria ſuperatis alpibus abſens
Publica Gallorum cum Rege negotia tractas,
Dumq; doles raptum lacrymoſo funere Regem
Gratiarisq; nouo Regi, quem pectore, et armis
Inſignem, & pietate uehit ſuper æthera ſama;
Principiis ſic ille bonis exorſus in omnem
Italiam clarum diffudit nomen, & omnes
Erexit magni ſpe certa hoc tempore Regis.
Dum tu hæc ò Venetæ decus urbis, maxima cura
Et diuùm, & patriæ curas, nos dulcia Phœbi
Ocia perſequimur, rurisq; receſsibus illic
Vtimur, unde fluit per amœnos riuulus agros,
Muſcoſo de fonte cadens: ubi tuta ſilentis
Aeris eſt ſedes: quò ſæpè aſpirat ab alto
Neſcio quid uatum ingeniis, quod numine diuum
Impleat, ac fari iubeat diuina canendo.
Nos, quibus optanda hæc, non expectanda, calores
Hic tantùm fugimus, quos curru Syrius ardens
Præcipitat ſolis, terrasq; exurit hiantes.
Puluis ubiq;, udoq; ex corpore ſudor ubiq;
Areſcunt linguæ, ſtant ſicco gutture fauces,
Vnum eſt auxilium Bacchus, peponesq;, melones,
Atq; auræ, atq; umbræ, & cum caris luſus amicis.
Hìc ego ſæpe tuos uultus, lætumq; videre,

D Aſpectum

Aſpectum uideor: tecum ridere, loquiq;
Hic Gallizzantem Coccum, multumq; bibentem,
Et ſe immiſcentem multis non multa potentem,
Cuius tàm mihi ſunt commiſſa negocia curæ
Quàm iuueni, & cupido formoſa puella marito.
O utinam duplici tellus perfoſſa pateret
Tramite, quò poſſet dulces perferre melones
Hinc ad uos alter: cyathis rorantibus alter
Iſtinc purpurea, & ſalientia uina referre;
Flumen ut Alphæus Siculas de lapſus ad undas
Sæpè ſuæ decurrit in amplexus Arethuſæ.
Si modo per Coccum uobis meliora liceret
Mittere, nos certè ſelectos rure beato
Terræ, quem uero dicunt hic nomine nigram
Florentinorum egregia de ſtirpe creatos
Ire iuberemus, magno dulcedine Regi
Qui poſſent æſtus, & odore leuare moleſtos
Quinctilis rabidi miſſos ex ore Leonis.
Vos ni fortè iuuent urſæ, ſeptemq; triones,
Et gelidi fontes, & opacis montibus umbræ;
Aut putei, aut altis uinaria cella cauernis.
Sed quid ago? ſi plura loquar, calor opprimat; ergo
Hæc tibi perfuſus cecini ſudore, ſitiq;
Enectus, nam nulla uolat nunc mobilis aura,
Vata colonorum fruſtrantes area fruges
Dum terit, & rauco reſonant ſtridore cicadæ;
Dumq; adſunt multæ prohibentes ſcribere plura
Vulneribus

Vulneribus crebris, uillarum incommoda, muſcæ.
O mihi cum tota viuas, valeasq; cohorte
Veloces & equi, & tolerantes pondera muli.
Vt citius poſsis huc, commodiusq; redire,
Nam tua te aſsiduè caſta prece poſtulat vxor,
Iam lacrymis penè confecta, & amore fideli.
Vrbs tua te Patavi, te patria, plebsq; patresq;,
Quos mediis (mirum) poſitos Neptunus in undis
Cum Ioue fratre uidens pariter mirantur, amantq;,
Teq; tui cupiunt herbis ſitientibus horti.

DONATO RVLLO.

QVID tibi uis DONATE meæ pars altera uitæ?
Quicum partiri curas, & uiuere mallem,
Quam benè dotata, caſtaq; uxore videre
Suſceptos patrem circum colludere natos.
Iam tua fortunas induſtria nauiter amplas
Attulit arridens, & ſors fratriq;, tibiq;:
Mille iugis oleæ uobis; armentaq; læta;
Aruaq; frumentis aptisſima; mille gregesq;
Fertilis Appuliæ latis paſcuntur in aruis;
Et permutandis non parua pecunia nummis
Creſcit, & auget opes: requies tamen ulla laborum
Non eſt parta tibi: modo mens uaga cogitat ire
Vrbem ad Sirenum; modo Romam, atq; huc modo, et illuc;

Seu nix alba tegat terras, ſeu ſirius ardens
Excoquat, in uarias diſcindis pectora curas.
Ecquid in his Donate magis ſentire beatum
Te potes? an ne animi potius concreſcere morbos?
Queis ceu turbatis mare fluctibus æſtuat ingens.
Imo in corde labor, cæcaq́; cupidine ſemper
Nos agitat, portuq́; arcet, tum rurſus in altum
Arripit; in portum cum duceret aura propinquum,
Quòd ſi Pactolus fuluo tibi defluat auro,
Non animi poſſis tantas ſedare procellas,
Illius uentos niſi more Ithacenſis Vlyſſei
Vtribus incluſos teneas; nec uincla reſoluat
Ex ſociis quisq́;: ſed amica pace ligatus
Reginæ ſenſus rationi pareat omnis.
Hoc tibi Socraticæ poterunt præſtare tabellæ;
In quibus è cælo ſe quondam lapſa ſereno
Condidit, humanos uiſens ſapientia cœtus,
Non aurum, non mille greges, non iugera mille,
Quæ ſi nulla ferant incommoda, Dic mihi quæſo,
His ſine qui minor es, uel qui cum his maior, ut extra
Te circumpoſitis nihilo maioruè, minoruè es,
Non ſecus ac curuo clitellas ſi quis aſello
Ex auro, frenum ex auro, atq́; inſtrata ſuperba
Iniiciat, talem nunquam mutarit aſellum:
Diuitiis nobis ſic eueniſſe putandum eſt.
Ni tibi Maphæum Bernardum propter aceruos
Nummorum docto libeat præferre Tryphoni.

Quam ſtultè facimus: ſi conducenda, uel ipſi
Eſt tibi emenda domus, non exteriora putabis
Aſpexiſſe ſatis: ſtudio circumſpicis acri,
Intro adiens cellas, thalamos, granaria, quæq;
Commoda ſint: quæ ſint incommoda: ſed tamen, o Dii,
Purpura ſola facit, ſolum diadema beatos:
Et nummi, poſitiq; per horrea longa medimni?
Noſtra ita iudicio uulgi cæcoq;, leuiq;
Libramus; lance, & ſtolidi nil pendimus æqua.
Quod ſi intromiſſo illorum tibi cernere detur
Iraſq;, inſidiaſq;, atraq; cupidine motus,
Inter ſpemq;, metumq;, & acutos corde dolores,
Ah miſeri; dicas, retro & ueſtigia uertas.
Improuiſum aſpris calces ceu uepribus anguem
Sibila torquentem colla, & fera bella minantem,
Continuoq; petas uiridis ſpineta lycei,
Si ſapis, & rectè tibi uis, & conſulere audes;
Vnde roſæ, uiolæq;, & candida lilia ſurgunt:
Ver ubi perpetuum, & Zephyris ſpirantibus auræ
Diuinos effert fæcundo ſemine fructus:
Aut Academiæ Platani quæ cælibis umbra
Felices animæ cecinerunt, diſcere tentes.
O, ego quàm uellem ingenii ut tua uena benigna
Muſarum in latis flueret nitidiſsima Campis
Omni ſorde procul, non his areſcere curis
Tam ſineres Donate diù; qui iam mihi plures
Hinc optatus abes menſes; quàm me tolerare

Poſſe

Poſſe putem. Nunc te liquidis iam corniger vndis
E deſiderio Languens pater ipſe requirit
Medoacus; nigram leni qui flumine terram
Irrigat, & Pataui uocat ad ſua munera Muſas.
Iam Calcignani colles, fonteſq́; uidentur
Aduentum expectare tuum: tibi nectere Nymphæ
Euganeæ uario properant ex flore coronas:
Noſq́; tuum in reditum pinguem cum matre iuuencam
Paſcimus: Hyrcipediq́; deo cantanda paramus
Carmina cum uarios ſubmittere terra colores
Incipiet. Lupus effugit namq́; hinc pede claudo;
Et pænas dedit idem omnes per vota petitas
Quare Rulle breui precor huc Donate recurre,
Et caros tandem, cupidoſq́; reuiſere amicos
Ne graue ſit; tibi contingat ſic numine dextro
Viuere iucundè, & benè, perpetuoq́; tenore,
Degendæ ratio eſt vitæ quæ ſola beatæ.

DIEGO HVRTADO.

VILLA ſuburbano dum me delectat agello,
Hinc Pataui egregiam ſtudiis, & mœnibus Vrbem,
Amplo & circuitu, & fluuiis, cæloq́; ſalubri,
Illic cæruleo ſurgentes leniter arcu,
Palladis, & Bacchi ambiguo certamine colles
Cernentem Euganeos ſubiectaq́; collibus arua,

Læta

Læta Ceres alto quæ ſæpe aſpectat Olympo,
Inde per excelſas alpes conuerſus ad arcton,
Dum miror tarde uoluentem plauſtra Bootem:
Et tot diuerſis lucentes partibus ignes,
Cephæq́;, ardentemq́; Canem, ardentemq́; Coronam,
Pleiadasq́;, Hyadasq́;, auroq́; Oriona micantem,
Milleq́; præterea naſcentum, mille cadentum
Stellarum motus, ſeu cum ſol exit eoo
Oceano, heſperias ſeu cum ſe condit in undas:
Paulatimq́; feror ſublimior: arteq́; docta
Quis ſit, & hæc certa qui temperat omnia lege
Contemplor; licet antè alios ſit pectore Cæſar
Et bello inſignis, teneatq́; patientia regna,
Ipſe tui tamen ingentis tum Cæſaris arma,
Regnaq́; contemno curſu peritura fugaci;
Tum me fœlicem, tum me reor eſſe beatum,
Cui datur hæc miſera procul ambitione tueri;
Non ego diſpoſitis erans altas euehor alpes
Feſſus equis, per ſaxa, & depreſſas conualles
Fluminaq́; & rupes, per mille pericula carpens,
Dum dicto cupio citius mandata referre
Triſte iuuentuti ſolamen, triſte ſenectæ
Atq́; pedum, atq́; alui linquo renumq́; dolores:
Non claſſem ammiſſam libycis in fluctibus, & rem
Quæ bene non geſta eſt, cogor deflere; nec imo
Ingentem uerſo curarum in pectore molem,
Imperii ut latè fines producere poſſim,

Qui

Qui nulli tibi ſunt, animus niſi finiat æquus.
Nullius inſidias timeo, nec perdita cæcum
Oblitumq́; mei facit aſſentatio: non ſpe
Deludor uana: non quemquam deniq́; fallo.
Sed Galzignani modo aprico in colle ſub alta
Ilice, pallentesq́; hederas, oleasq́; uirentes,
Et uineta inter uario certamine dulces
Excipiens cantus dextra; læuaq́; uolucrum;
Nunc ad Medoaci doctæ ſub mœnibus urbis
Flumina; nunc Pataui ædium in interiore receſſu
Securus mecum meditor ſi promere poſſim
Quæ valeant prodeſſe olim mortalibus ægris;
Vt potiora petant, per me potiora uidentes.
Quam tibi ſi mentem, priſca de ſtirpe Diege,
Cæleſtes dederint, hæc vt cæleſtia cures,
Cui tanta eſt fortunæ copia: tanta bonorum
Librorum; ingenii multò & ſollertia maior:
Cuius luce uigens circumſpicis omnia, quæ ſunt
Quaq; in re uel agenda, acriue indagine mentis
Concipienda, in utram libeat tibi te dare partem,
Quæ de tam ſacro manarent pectore in omnes
Terrarum tractus? tua clara Hiſpania bello
Conſilioq́; potens, doctrinæ clarior arte.
Vno te quantum ſeſe iactaret alumno?
Et ſublime tuum ferret ſuper æthera nomen?
Ipſe autem in terris ſimilis Diis ardua cæli
Ardua terrarum celeri per inane uolatu

i iij. *Emenſus,*

Emenſus, prima & repetens ab origine cauſas,
Hic ageres Diis cum ipſis immortalibus æuum.
Sed tamen & diuini animi ſunt munera, quæ nunc
Exerces; uigilans in publica commoda, magni ut
Cæſaris arma queant noſtris è finibus hoſtem
Pellere communem: pro quo te ſæpe loquentem
Mirantur Veneti Patres: tua dicta ſenatus
Obſeruat grauis ille, imoq; in corde reponit.
Frumenti per te magnus conuectus in urbem
Adriacam numerus famis expalleſcere uultum
Horribilem uetuit. Tu multos mittis ad altum
Scriptores Athon, huc ueterum monumenta uirorum
Comportaturos. Tu multis pectora placas
Cæſaris, & per te ſuſcepti a Cæſare multi.
Naturæ ignoraſſe uias; & ſydera cæli,
Inuentasq; artes fœcundi ad flumina Nili
Cum refluit, totoq; caput iam condidit alueo,
Non nocuit cuiquam, nocuit tranſmittere fines
Iuſtitiæ, ignarum uitæ rationis, & artis.
Nec minus in nobis cum fluctuat, obfuit iræ
Veſanæ ceſſiſſe: & ſuccubuiſſe furenti.
Aut ſi quem cæpit potantem pocula Circes
Subdola, blanda hominum labes, atq; eſca, uoluptas:
Deniq; pro patria fugiſſe pericula, habendi
Plus æquo & ſeſe expleuiſſe cupidine, tantum
Et ſua curare, atq; hominum contemnere cœtus.
Contra olim multum ac ueteres feciſſe uidemus

 Quorum

Quorum nunc omnes fruimur virtutibus, & quæ
Nunc ſunt, illorum nobis peperere labores;
Quorum uita dedit nobis hanc uiuere uitam.
Hæc urbes regere, hæc populos ſeruare beatos
Sola poteſt: dare conſilium, & ſuccurrere amicis,
Hac uagus Alcides, hac attigit ignea templa
Liber, & in cælum raptus poſt fata Quirinus,
Innumeriq; alii, præclara negotia quorum
Ocia uicerunt aliorum. Lapſus ab alto
Virginis in gremium Pater ipſe hominumq́;, Deumq́;
Induit humanam faciem, moribundaq́; membra,
Tantus amor noſtri, miſeransq́; incommoda noſtra,
Ille ipſe immenſi ſator & regnator Olympi
Multa tulit, noſtro ſubeundo mille labores
Nomine: ſudauitq́;, alſitq́;, famemq́;, ſitimq́;
Senſit, & extremo crudelem tempore mortem,
Crudelem; nobis uitam tamen inde ferentem;
Perpeſſus clauſi portas reſerauit Olympi,
Taliaq́; edocuit nos celebrare nepotes,
Curemus cuncti ut mortalia commoda. Quare
O genus egregium, qui ſanguine clarus Ibero
Virtute haud minor es, cum ſis ad utrumq́; paratus:
Et ſit ſumma quidem, & pulcherrima laus in utroq́;,
Ingenium ſequere, & naturæ pare monenti:
Ducet enim quo pauci aſpirauere priorum.
Nos ſimili monitu qua cœpimus, ibimus, atq́;
In cælum munire uiam pergemus & aſtra,
Si modo Calliope præſtantibus annuat auſis.

MARCO

MARCO LAVREDANO.

SI te delectat Romæ uetus ille tuus mos,
Nobiſcum ut Pataui te delectabat in urbe,
Cum procul ambitione, & plura cupidine habendi,
Liber & à curis aliis, inuenta Lycei,
Atq; Academiæ quærebas pectore firmo,
Nimirum es felix, & Lauredane beatus,
Cùm uideas, nequeunt alii quæ cernere: primùm
Naturæ ipſius, & tantarum exordia rerum,
Immenſiq; orbis faciem; qui rector, & intus
Miranda ratione mouet, nec fallitur usquàm:
Sed melius quauis, quauis expreſsius arte
Omnia molitur, mens pura, & purior auro,
Auro ſæpe caua doctè in fornace recocto.
Deinde & quæ poſsint animis depellere morbos,
Ardenti impoſiti, quibus excruciantur ut igni
Mortales. O uera hominum, uel ſola beate
Viuendi potius ratio: te quisq; ſequatur,
Si modo te norit, nec dulcis cura laboris
Arceat ignaros. quæ ſit dementia noſtra
Marce uides. hominum magnus concurſus in urbem:
Hic ad Pontificis nutum ſe fingit, at ille
Patrum aliquem nactus blanditur, & omnia perfert
Seruorum in morem, genus ementitus, & artem
Quamlibet ingenuam, ſi uerum quærimus, inde

Quærit opes ſolas, ſolos is quærit honores,
Atq; uoluptates probro, & ſudore parandas:
Solius & tamen eſt uirtutis uera uoluptas
Sincera, & nullo miſta eſt quæ ſola dolore,
Et laudem uirtus opibus coniungit, & addit
Splendorem, ſine quo quis amet, niſi ſordidus ipſas
Diuitias? aut quis potius non ſpernat? honeſtè
Nam ſi fortè aliquis minus eſt, aut turpiter uſus,
Pernicies comes huic, comes huic infamia ſemper.
Ingenio at ſi quis præclarus quærit honores,
Errat, ſi ſine laude putat conſiſtere honorem
Poſſe uelut ſolem ſine luce, & ſydera. multò
Et magis idem errat, ſi non radicibus omnem
Virtutis laudem naſci, & ſe ferre ſub auras
Cenſet: non populi, aut patrum ſuffragia, non dat
Illam Pontificum temeraria ſæpè uoluntas,
Quippe hominum quæ ſit riſu, & plerunq; dolore.
Artibus ingenuis opus eſt, animiq; uigore
Erecto, egregiis factis, ſic ſydera magnus
Filius Alcmenæ, & Iouis, & pater ipſe Lyæus
Commeruere, parens urbis ſic ipſe Quirinus,
Heroesq; alii, celebris quos fama deorum
Adſcripſit numero nullos moritura per annos.
Deniq; de multis bene, præclareq; merendo.
Ipſe uides ſermo de multis quis ſit in urbe,
Quos aura, aut fortuna potens euexit in altum,
Auſoniasq; urbes, hominumq; per ora uagetur:

Optes

Optes ut potius ſolis latuiſſe ſub antris,
Aut coluiſſe agros parua mercede laboris,
Quàm ſic traduci, quàm tanta infamia inuri:
Atq; inhonoratos honor his patefecit honores,
Quorum me miſeret, (Diuûm omnia numina teſtor)
Cùm ſtolidum hos uulgus putat, appellatq; beatos.
Nec minus his clarum eſt nomen, qui numine ſancto
Muſarum afflati, magno, ſuauiq; labore
Aeternam patiere ſacro ex Helicone coronam;
Et Muſæ æternam queis conceſſere coronam,
Qui bene de nobis meriti, præclara docendo,
Scribendoue animos non permiſere caducis
Intentos rebus ſe non agnoſcere cæli
Antiquam ſtirpem; ſimul ad ſublimia natos
Cognoſcenda, ſimul natos & rebus agendis,
Vt ratio iubet æqua pendens omnia lance:
Vnde honor eſt uerus: uera, & pulcherrima laus eſt.
Non ut ſæpe trahit nos importuna libido,
Qua pecudum ritu mortales ſæpe feruntur
Huc, illuc animi pendentes, nec ſatis ulli
Certo præſidio fidentes: priua magiſtro
Fluctuat ut tumidis nauis iactata procellis.
Hinc laus eſt nobis, hinc gloria uera petenda:
Quæ ſtabilis maneat; ueris quæ uocibus aures
Mulceat, & tacito ſub pectore gaudia firmet,
Siue uoluptates quæris, ſeu quæris honores,
Hic honor, hic ſemper uera, & ſincera uoluptas.

Idem

Idem te ſentire reor: niſi te abſtulit æſtus
Ambitionis & in ſcopulos, cæcasq́; tenebras:
Vnde Academiæ, portusq́; tenere Lycei
Deſperes. O Roma lues miſeranda uirorum,
Accidit hoc ſi forte, ut Lauredanus in urbe
Mutatus, ſocii uelut olim Ithacenſis Vlyſsis,
Oblitusq́; ſui, decorisq́; oblitus & omnis,
Nil ſupra uulgus ſapiat, nil cogitet amplum,
Sederit hæc animo nunquam ſententia noſtro:
Sed te naturæ meditantem arcana, beatam
Et quænam reddant uitam mortalibus ægris,
Resq́; Dei procul hinc in maieſtate repoſtas,
Temnere crediderim, quæ nunc miratur in Vrbe
Plurima turba alta caligine merſa, nec unquam
Reſpiciens ſeſe, maioraq́; munera Diuûm,
Gratulor hoc tibi, te laudo, te amplector, amoq́;
Intra quod paucos te non flexere potentem
Ambitio, nec opes, dulcisuè, & amara uoluptas;
Contra ea ſed quæras ueſtigans pectore toto,
In quibus eſt & honos, & opes, & uera uoluptas:
Iccirco es felix, & Lauredane beatus.
Ergo hanc ire uiam uento, curſuq́; ſecundo
Perge precor, uitæq́; uelis aſſueſcere Diuûm;
Aut à propoſito ſi quid te abduxerit, illud
Abiice, tolle moras, tranquilla per æquora uelis
Conuerſis, portumq́; ſubi, tutosq́; receſſus:
Vt felix uiuas, & Lauredane beatus.

BERNARDO

BERNARDO NAVGERIO.

BELLO & pace Vrbs clara olim, terraq; mariq;
Induperatorum ſedes pulcherrima quondam
Poſt Helleſpontum, qua ſæua Propontidis vnda
Panditur, anguſtos iterum & ſe cogit in æſtus,
Optime Naugeri, nunc te tenet (vt reor) alto
Sæpe uolutantem tacitam ſub corde querelam:
En quò deducta eſt res noſtra? & nobile regnum
Græcorum, Europæ ſimul, atq; Aſiæ decus, & lux.
En quò perduxit diſcordia cæca, uel ira.
Dira Dei miſeram tot iam per ſæcula gentem,
Quæ tamen inuenit quicquid ſapientia mentis
Humanæ potuit, longe & tranſmiſit in omnes
Terrarum tractus. Quæ barbara pectora honeſte
Et magno incendens domuit uirtutis amore
Barbarie oppreſſa eſt. Gemitum hic, lacrymasq; tenere
Quis poſsit, mi Naugeri? modo nouerit illa,
Quæ veterum monumenta docent: te teſtor amoris
Maxima pars noſtri, cui cuncta eſt nota uetuſtas,
Antè oculos cui ſunt Græcorum incommoda: quiq;
Proſpicis, atq; times, quæ mox uentura trahantur
In noſtris melius rebus quis conſulat, ex his
Qui poſſunt & debent, hæc ſed omittere oportet

Omina

Omina præcipitanda Notis, meliusq́; precari
Et ſperare, Dei nam ſunt ignota ſupremi
Conſilia: & contra ſæpè euenit, atq́; putarant
Mortales multi: quare iàm noſter abeſto
Hinc ſermo: atq́; aliis de rebus pauca loquamur
Si uacat à curis Patriæ: ſi non vacat, iſta
Reiice; ne nimium morer hic tua tempora ineptus.
Namq́; tui ut primum (tanta eſt prudentia) ciues
Te magni iuuenem miſere ad Cæſaris ora
Pro patria acturum multa & præclara; deinde
Gallorum ad Regem, cum te Patauina gerentem
Præturam urbs ſtudiis celeberrima, & uberè terræ,
Temperie & cæli, & multarum copia aquarum;
Et traducenda ſecura per ocia vita,
Laude admirata eſt iuſti, pietatis, & æqui.
Et quantum poſſet facundia pectoris alti
Tunc tua ſenſit, ita hoc te tempore diſtinet ingens
An dolor, an cura incertum eſt. tibi gens fera cultu,
Quæ longè, & latè Imperium ſibi protulit armis,
Prudenti tractanda, noua & ratione domanda eſt:
Quod facis, vt fama eſt, declarat gratia, magno
Poſt homines natos cum Rege; potentia cuius
Maxima in Europaq́;, Aſiaq́;, minatur & ipſi
Iam Libyæ. Sed nunc aliis de rebus agamus,
Si uacat, ut dixi. uellem uir candide tecum
Iſtic eſſe; libens luſtrarem quæ loca quondam
Antiquis celebrata; Helicona, & Theſſala tempe;

Et gelidum Permeſſum, & perſpicuam Hippocrenem:
Vrbis Athenarum quæ extant ueſtigia. totam
Elidaq́;, Arcadiamq́;, Spartamq́;, Argolicamq́;;
Inde per Aegæum diſperſas Cycladas omnes.
Inde Athon; hic cunctas ſcrutarer bibliothecas,
Deſcribens quibus Auſoniæ caret ora libellos;
Noſtraq́;, ſi qua forent illic meliora, liceret
Corrigere; ingeniis magna adiumenta iuuandis.
Quod quoniam mihi non datur inualido, implicitoq́;,
Hac noſtra cura, dulciq́; labore docendi,
Te rogo Muſarum magnum decus: o, decus ingens;
Præſidiumq; tuæ patriæ, qua maius in orbe
Nil Phœbus uidit, quamuis utrunq́; recurrat
Oceanum, atq́; omnes colluſtret lampade terras:
Vt cures, tecum, ut redeunte uehatur in urbem
Adriacam, magna & uaria & pretioſa ſupellex
Librorum ueterum; labor optimus, & generoſis,
Atq́; altis animis paſtus ſuauisſimus; hi nam
Noſtros informant animos, finguntq́; docendo,
Quæ noſtræ partes uitæ, quæ munera mentis
Humanæ cælo exhauſtæ, de mente deorum,
Qua ſimiles diis immortalibus eſſe uidemur;
Ambroſia utentes illorum & nectare dulci,
Quamquam terrena, & tenebroſa mole premamur.
Horum cur igitur nobis non maxima cura
Sit cordi? unde fluunt animis tot commoda noſtris.
Heu quanto hæc melius; quàm tantis ſumptibus arces

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Quoſdam moliri, & lacrymoſum accendere bellum.
Quàm populari agros; Villas incendere; & ipſas
Aerboreas ſtirpes ferro ſuccindere acuto.
Quod peſtis genus Auſònias penetrauit in oras
Tempore in hoc; tanta eſt noſtrorum iniuria noſtris,
Et tam præcipites odioq; iraq; feruntur.
Quæ mala communes utinam uertantur in hoſtes,
Qui melius pereant, laudabiliusq; coacti
Pro tot noſtrorum necibus dare ſanguine pœnas.
Tu vero paruo precio monumenta parabis
Supra homines quæ nos, & ſupra ſidera tollunt,
Ut licet, & fas eſt cernentes ora deorum.
Quæ prodeſſe uolunt cunctis, nec lædere quemquam;
Et duraturum per plurima ſæcula, Nomen
Promittunt; ſi quis uoluat noctesq; diesq;,
Et Deus aſpiret; ſine quo nil rite fit (ut ſcis)
Hoc age Naugeri fac cures optime, dum te
Martia legatum tenet iſtic Thracia: magnos
Quo uinces quoſdam bellantes turpiter; atq;
Implacabiliter, modicis nec ſumptibus, horum
Si fieret ſextans in munera pacis & uſus
Quales te admoneo, fama hos æquaret Olympo,
Quæ te Naugeri manet immortalis in orbe
Terrarum, hoc ſi poſt Byzantia munera cures
In primis, tua cura uigil ne torpeat ulla
In re nota. Hoc te Muſæ, te Phœbus Apollo,
Numina ſancta rogant; rogat hoc te verus amicus.

Interea

Interea paſcam Zephyris felicibus albam.
Lætus ouem, qui te redeuntem per mare portent
Incolumen patriæ ante alias florentis in oras
Tam expectatum, quàm fuit olim Ithacenſis Vlyſſes;
Nec ſua Tyndaridum deerunt donaria templis.

ALTENERIO
AVOGARO.

AVDIVI: & dolui ipſe tuo perſæpe dolore.
Nam mihi cum caris fortunam ſemper amicis
Communem duxi, quos tu mea dulcis es inter
Cura Alteneri. tua noſtro ſemper imago
Atq; animo, atq; imis habitat iucunda medullis.
Vnde tuæ caſu uxoris perculſus acerbo
Natorum, & ſtudiorum incommoda multa, domusq;
Totius tacito defleui pectore mecum.
Quem mihi nunc renouat carmen miſerabile luctum
Miſſum ad me nuper: mihi quæ medicina dolenti
Affluit, hæc præſtò tibi erit medicina dolenti;
Si modo ſanari cupias: morboq; leuari:
Nec præbere uelis crucianti alimenta labori.
Si quid fortè optes aliquem rogitare: nec illud
Summis principibus conceſſum unquàm admoneare.
Id ne petas? turpem uel ſi patiare repulſam,
Indignère petens? non arbitror. Eſſet iniquum

Hoc etenim. nam Pontificis quod prouida cura
Noluerit ſummis patribus permittier : hoc quis
Audeat impetrare ? aut quis tum iure queratur
Reiectus noſtrùm ? lex eſt hæc omnibus æqua :
Principio & ſtatuit pater hanc hominumq́; , deùmq́; :
Priuati cuiquam nihil eſſe in morte remiſſum .
Magnorum regum uxores periere ducumq́;
Ante diem . ut fatorum ordo , atq́; arcana tulerunt .
Cuiq́; dei ſtabili ſortes ducuntur ab urna ,
Non exorabis prece quas , pretiouè redemptas .
Vt folia arboribus , nobis ita uita. cadunt hæc
Sponte ſua ; aſt arent hæc : hæc ui disſipat Eurus .
Conditio hæc eadem miſeris mortalibus apta eſt .
Et quandoq́; doles : hominem tum te eſſe memento .
Hoc eſt ſubiectum ſorti , imperioq́; deorum ,
Eo madidi tenuem compacti pulueris umbram .
Quo nil enixa eſt tellus infirmius uno .
Tum ſubito fâſtus pones , animosq́; ſuperbos .
Parebisq́; deùm , & naturæ legibus æquis .
Et quæcunq́; uolent , ſcelus hæc te nolle putabis .
Et diſces te uelle quod accidit , ut tua fert ſors .
Quo uitæ uariis in tempeſtatibus actus
Arte regens teneas portum hac tutisſimus una .
Ne ſcopulis , mediisq́; miſer merſere ſub undis .
Quod ſi te tantum coniux dum uixit amauit ,
Forte deum & iuſſu pallentibus extet ab umbris
Ipſa tuum aſpiciens mærorem mæreat ipſa ,

Et te à perpetuis lacrymis traducat ad unam
Natorum curam, uiuendi ut noſcere rectam
Aſſueſcant primùm rationem, deindè latentes
Naturæ primas tentènt euoluere cauſas:
Vt te abducentes paulatim carcere cæco
Omnia diis tribuenda putent. præponere rebus
Omnibus hos diſcant: diſcant his ſacra parare
Pectoribus puris, facibusq; ardentis amoris.
Sin hoc non posſint, legum ciuilia iura
Percipiant animi. his curæ publica ſit res.
Aut præcepta domus teneant præclara tuendæ.
Exemplo & tecum patruus bonus excitet illos
Iulius, ingenio nulli, & probitate ſecundus.
Nec nihil interea magni doctrina Tryphonis
Profuerit, ſibi quem Aonio nutriuit in antro
Diuinum inſpirans animum crinitus Apollo.
Et Sadoleti liber aureus, aurea fundens
Flumina, quæ teneris ſi quis puer ebibat annis,
In terris uiuet cælo dignisſimus, olim
Sedibus æternum acturus melioribus æuum,
In manibus ſtudio ardenti uerſetur ab illis.
Et doceatur acu uarias depingere formas;
Deq; colo celeri deducere pollice fila,
Et tenuem Luchina mea exercere Mineruam,
Adq; pudicitiam tenero formetur ab ungue.
Hæc tua ſi tecum coniux, & plura loquatur,
Quæ tibi ſubiiciet ſapientia; nonne probares?

Perq;

Perq́; tuum caput, & per coniugium inuiolatum
Iurares poſito facturum talia fletu.
Verum age, quæ mulier ſi diceret, effice per te.
Et cum longa dies lacrymas abſtergat inanes,
Præripe conſilio, atq́; annorum percipe fructum.
Et nil proficiens lacrymis, luctuq́; perenni
Inſani duc eſſe dolendo augere dolorem.
Natorum ſit cura dolor conuertere mentem
Huc decet: hi luctus tibi, fœmineiq́; ululatus
Docte Alteneri. permitte & cætera diuis,
Qui multo quàm nos melius curantq́; reguntq́;
Omnia: nec ceſſant ullo unquam tempore nobis
Conſulere, incertæ & miſerari incommoda uitæ:
Ac uelut obducta mentes caligine noſtras
Occulta ratione iuuant nos ſæpe querentes.
Sæpe pater natis quod prodeſt ſuaſit: at illi
Detrectant aliquem propter plerumq́; laborem.
Sic nos facta deum ſtultè reprehendimus ægri,
In nobis maior quaſi ſit ſapientia rerum.
Artificis ſi docta manus quid finxit in ære
Aut ebore egregium, ſeſe miratur in illo,
Illud amat: transfert quo uult: permutat & ut uult.
Hoc niſi deliret, quis damnat? nos opus ergo
Si ſapiens natura ſuum, aut mundi melioris
Ille opifex terris, hinc auferat. eſt ubi ſemper
Luctus edax, uigiles curæ, triſtisq́; ſenectus
Morborum & genus omne, iræ, inſidiæq́;, dolemus?

Non

Non ita nos monuere uirorum illa inclyta proles ;
In mortem qui olim pro libertate ruebant.
Nec qui cæleſtum numerum impleuere deorum.
Cum quibus eſt nobis nomen commune : nec inde
Quidquàm præterea, hos animos quidam uelut æſtus
Hinc procul, & longe ſecum abripuere procellæ;
Tantum ſtultitia, atq; ignauia pigra malorum
Inuexit : tenebris inuoluens omnia diris :
Priſca fides quas ſola poteſt de pectore noſtro.
Diſcutere : humanis prohibens confidere rebus.
Quarum decipimur ſemper fallacibus umbris :
Quæ bona ſunt, mala ; quæ mala ſunt, bona noſtra putantes.
Vt ſæpe aduerſo concurrunt flamine uenti.
Hin dolor, hinc pauor, hinc ſpes, exultantiaq; intus
Gaudia ſollicitos agitant noctesq; diesq; ;
Mortales ; ſi qui tantum mortalia curant.
Nonne fuit ſatius cæleſtia templa tueri
Sæpe animo? & noſtras illic ſpes ponere, quas non
Fortuna, aut hominnm potis eſt iniuria, nec uis?
Vlla mouere loco, aut tenues diſpergere in auras
Hoc etenim ſolum pacto traducere uitam
Lætam & felicem : mox & ſuccedere cælo
Quimus, ab his uacui, paulò quæ diximus antè.
His ego fomentis potui ſuperare dolorem
Communem : hæc mihi ſunt curarum dulce leuamen :
His pugno aduerſus uictor tela omnia cæca

Fortunæ,

Fortunæ, auſpicio tamen, auxilioq́; deorum
Ergo quam mihi met quondam, tibi nunc medicinam
Præſentem admoueo, nullo de monte petendam,
Sed quæ Altenerii noſtra intra pectora nata eſt.
Tu quoq́; prompto animo prius hac diis ritè uocatis
Vtere, nam mentis ſubito labor effluet omnis
Irritus: & uitæ reddes te Auagare beatæ,
Cum Muſis ſemper Phœboq́; Helicona colentem.
Cuius opes mihi ſæpè legens huc carmina mittes.
Vt dulci hoc liceat terere otia noſtra labore,
Namq́; pari Euganeæ uiſent te munere Nimphæ.

MATTHAEO DANDVLO.

DANDVLE, qui magnis patriæ de rebus agendis
Miſſus ad egregium es poſt plurima ſæcula regem,
Sero ad te ſcribo, non quo mihi ceſſerit ulla
Cura tui ex animo; quippe es mihi ſemper in ore;
Inq́; oculis ſemper gero te, geſſiq́;, geramq́;
Dum uiuam: noſtræ ueteris ſic poſtulat uſus
Dulcis amicitiæ: ſed te dum diſtinet alto
Congreſſus cum rege, & prima negotia, dumq́;
Hoſpes es ignotos inter: dum mille recurſant
Curarum, ne ingrata, atq́; importuna ueniret

Littera

Littera pertimui : nunc cum præclara parentis ,
Et tua te uirtus cæloq; æquarit , & ipſi
Ingenti caarum regi : totiq; cohorti
Reddiderit , multo tibi me iucundius illa ,
Omnia conabor , quæ ſcribere poſſe putaui
Effari : quæ nunc , niſi quid te forte moratur ,
Accipe. contendunt ſunt qui magis eſſe beatum
Te nunc Gallorum uiuentem in diuite terra :
Gens vbi non fallax , non ulli obnoxia curæ ,
Hoſpitiis locuples : ubi fontes , flumina , montes ,
Aruaq;, nec minimum cedentia uina Falerno :
Eſt ubi nobilium comitatus regius auro ,
Et ueſte inſignis : qualem nec Perſidis ora ,
Nec diues vidit Syrius, nec diſcolor Indus .
Iam Rex ipſe animo ante alios clariſsimus omnes
Pellæo iuuene , aut ſublimi cæſare digna
Concipiens : largaq; effundens munera dextra ,
Qui , quo quæq; loco ſita ſint : & quæ poſitura
Terrarum , & cæli : Quæ cuiq; potentia regno ,
Et belli pacisq; artes : Quæ uirgine natus
Edocet , ætheriis nos inſertura beatis ,
Et tenet : & doctas muſas colit : & Philadelpho
Egregia laudem delibat bibliotheca .
Macte animo Rex magne deùm certiſsima proles ,
Imperium ſuperi , & diuina incæpta ſecundent ,
Te quoq; nunc facit illuſtrem magis , atq; habitandam ;
Quamuis prole uirum per te ſis Gallia fœlix ,

 Italiæ

Italiæ decus Hippolytus, qui pectore ſacro
Virtute æternos flores decerpit ab omni:
Præſtantesq; uiros paſsis complectitur ulnis
Dona ferens, Latii antiquo digniſsima more
Quid dicam, quæ nota tibi tot millia? quæq;
Audire eſt operæ pretium: oblectantq; uidendo;
Multarum quibus & pariter ſapientia rerum;
Quæ ſi cuncta uelim percurrere, longior eſſet,
Quam ſatis eſt; proprium nec haberet epiſtola nomen,
Nos etiam his ita te fœlicem ducimus, ut non
Vxoris memor excludas de pectore curam;
Quæ te ſuſpirat lacrymans noctesq;, diesq;,
Vxoris, qua nec melior, nec ſanctior ulla
Dotibus Adriacam exornat muliebribus urbem;
Vt grauis occurrat tibi mater ſæpius annis.
Infœlix mater: quæ te ſic quærit ut undam
Cerua ſiti ardenti fauces ſiccata: cadente
Nec Sole, aut curam nati exoriente remittit:
Harum commotus iuſto Matthæe dolore,
Abſentisq; tui luctu, & deſiderio (ſit
Ipſa licet tanto florens nunc Gallia cultu)
Non tamen ad reditum non accingeris: ubi ipſi
Et patriæ, & Regi ſatfeceris, o ego tecum
Aeſtiuo quàm ſæpè die ſermone retexens
Omnia, quæ magno in Rege admiranda rogabo,
Videris, audiuerisuè, tuum cui ſæpè per hortum
Spargemus flores: & frigida uina bibemus;

Aut

Aut auram foribus ſimul excipiemus apertis,
Dulcem auram; quæ ad nos curret pernicibus alis:
Aut ex Medoaco ſurgens, aut ex Aquilone,
Et gratas magis efficiet de rege loquelas.
Interea bonus, & doctus Daneſius iſtic
Eſi ſi fortè, meis uerbis ſaluere iubeto,
Inq́; uicem fratres perquàm benè conuenientes
Cum raro ſtudiis florens Baptiſta Rodolpho
Nobiſcum tradunt ſeſe tibi; iamq́; uidere
E Celtis cupiunt nitida cute te redeuntem,
Amplectiq́; ſimul, ſimul oſcula dulcia ferre:
Ac ne res Italas ignores, frugibus annus
Fœlix, & Baccho eſt: nec plurima bacca oliuetis;
Nec deſunt pratis herbæ; nunc ruſtica pubes
Læta aduentante eſt plena iam meſſe, paratq́;
Primitias animo Cereri, patriq́; Lyæo:
Et Floræ, dedit & doctis quæ nomen Athenis.

TORQVATO BEMBO.

SI cui perpetuam uitam natura dediſſet,
Eſſet nimirum tibi nunc Torquate dolendum;
Quod pater æternis Bembus digniſsimus annis
Liquiſſet terram, uario quam ornabat honore;

Seu Tuſca uellet Cithara, ſeu uoce Pelaſga
Seu Latio potius depromere carmina cantu.
Iam ſi res geſtas patriæ, & Mauortia bella
Scriberet intacta multo niue purius, atq;
Candidius, paucos illi præponere poſſes;
Quid dicam placidos mores, mentemq; benignam?
Quouè uel immanes potuiſſet flectere ſenſus
Vultumq;, alloquiumq;? ſenis non dulcior ore
Sermo olim Pylii redolens manare ſolebat
Hyblæos flores. His te Torquate dolere
Arbitror. & quis non doluit? quis funera magni
Non cecinit uatum Bembi? te maxime Paule
Pontificum Bembo lacrymas fudiſſe ſepulto
Commemorant, adeo Patrum interiiſſe putabas
Summorum lumen, quorum caput infula ſacrum
Oſtro imbuta tegit; tibi quos pater optime magno
Iudicio cunctis quæſitos undiq; terris
Legiſti, noſtri & uenturi, ut creditur, æui
Ornamenta, quis te ex animo non lugeat imo?
Ingenti & longo uirtus ubi parta labore
Occidit? humanis donum rarum ab Ioue rebus.
Talia deploras, mittam ut quamplurima, tecum.
Fortaſsis Torquate, tuamq; hoc fortè Iuuentam
Orbatam, & multis tali ſine patre relictam
Caſib. Hos tantos cari genitoris amores
Laudarem, iuſtosq; pio ſub pectore queſtus:
Si redeat ſanguis caſſo iam luce parenti,

Aut

Aut hominum ſi quis Stygias non iret ad undas
Nunc uero cum Mœonides, quem dulcibus ipſæ
Ambroſiæ ſuccis, & largi nectaris undis
Muſæ aluere ſibi; clarum cum Mantua nomen
Ille tuum uates opus immortale ſororum
Occiderint: comes his cum Tuſcæ gloria linguæ
Cuius in ore nouo dum carmine cantat amorem
Ipſe inſedit amor, dulci face molliter ignes
Inſpirans, dulcesq; ſerens in pectore curas.
Interdum rapitur ſublimis in æthera pennis
Ingenii, caput & fulgentibus intulit aſtris,
Et tamen is cum olim uitali exceſſerit aura,
Non Torquate decet te nunc lugere parentem;
Mors etenim nulli parcit, nec flenda ſenectæ
Debita, quæ uitæ ſeris irrepſerit annis
Perpetuo uitæ poſt commoda multa tenore,
Vt Bembo Torquate patri eueniſſe uidemus;
Cui natura dedit patriam, qua Phœbus utrunq;
Oceanum aſpiciens, ſeu cum ſe flectit ad Vrſas,
Seu redit à nobis fugiens nil pulchrius usquàm,
Aut maius circumuidet, aut illuſtrius orbe
In toto egregio Bembæ de ſanguine gentis
Hæc patris primum ſtudio, curaq; fideli,
Et Tuſcæ, & Latiæ prima incunabula linguæ:
Mox tenerum effingens docuit Ferraria pectus
Omnia quæ quondam doctis celebrauit Athenis
Integer, impatiens ſceleris, uirtutis amator,

Et

Et dulcis morum, & uitæ emendator acerbus,
Et diuum cultor ſanctiſsimus, omnibus unus
E Græcis ipſo ſapiens ab Apolline dictus.
Inde animo ardenti Siculas traiecit in oras,
Græcorum liquidos cupiens haurire liquores.
Nec mora, cum ſubito Græcè audiuere loquentem
Muſurusq́; ſenex; ſimul & ſtudioſa iuuentus;
Aetnæi uidit rediens incendia montis.
Eruptosq́; ignes, exeſaq́; ſaxa uomentis;
Deſcripſitq́; ſuo iuueniliter ordine totum,
Quo decus Europæ docti cecinere futurum,
Et mirata ſenem primas Europa ferentem eſt.
Multa tibi in medio conſulto nota relinquo.
Cunctis ut carus, cunctis iucundus amicis,
Principibusq́; uiris placuit; dulcisq́; iuuentæ
Aetatem extremos uitæ ut perduxit ad annos
Inualidus nunquàm; ſemper uirtute uerendus.
Numina quæ raro concedunt munera nobis.
Vtq́; eſſet nihil in terris, accedere quod iam
Poſſe uideretur, Magnus pro tempore Paulus
Tertius amiſſos Romæ inſtaurabat honores
Delectus numerum in Patrum te ſancte uocabat,
Te Deus in cælum, confectum ætate, beatum
Inter cælicolas quondam æternumq́; futurum.
Salue Bembe, ualeq́;, Deumq́; precare benignè
Ille tuo ut Torquato adſit: mentemq́;, animumq́;
Dirigat in melius, uirtutis præmia quærat:

Ad

Ad laudem egregiam tua per veſtigia currat;
Deponat lacrymas, ingrataq; funera, nam tu
Viuis: in æternum & uiues. ſuprema tuliſti
Omnia, quin etiam uera, & germana propago
Ille Hos Medicum Coſmus, Dux maximus, huius
Lux ſæcli, Italiæ iuſtiſsimus unus, & unus
Magnifico excellens animo, caſtiſsimus unus,
Vnus qui priſcæ ſolo virtutis amore
Ante alios cupiat uirtutem extollere in altum,
Marmoreo ut decoret curat te Bembe ſepulchro:
Solenni elatum pompa, exequiisq; ſolutis,
Et lapide ex Pario priſcos æquantis honores
Artificis cum docta manus te duxerit, inter
Apparat, ut ponat Tuſcæ tria lumina linguæ,
Viſendum celebriq; loco, celebriq; decore
Artis, qua Michael ſeſe ſupereuehit aſtra
Angelus, & vultus, ſpirantiaq; ora figurat:
Vt faciat quoties iter hac, te Bembe ſalutet,
Ingeniis gens clara fluit qua vitreus Arnus,
Florentem ſtudiis mediamq; interſecat urbem,
Optari an poterat quicquam fælicius ulli?
Aut mirabilius poſt ſæcula longa priorum,
Quam tali à tali donari principe laude?
Nil, mihi crede, tuo poterat Torquate parenti
In uita melius, nihil hic contingere maius:
Poſt mortem poterant uerſis incurrere facis
Multa tamen: longæ quæ ſunt incommoda uitæ,

Qualia

Qualia multa tulit fortunæ cæca poteſtas,
Vt patrem hac liceat quoq; dicere parte beatum.
Cuius tu rerum, tanti tu nominis hæres,
Et famæ ingentis; quam ſi uirtute tueri,
Aut augere uelis, merito nihil amplius optes.
Pelle agedum procul hinc à te lugubria, noſq́;
Laudemus; tu uero etiam hunc imitare parentem
Vt clarus uiuas, longumq́; extentus in æuum
Dignus ut hoc uiuas, dignus moriare parente.

MATTHAEO
DANDVLO.

GALLIA bis quondam, nunc te pulcherrima Roma
Legatum, caput orbis habet: quam leniter amnis
Cæruleus Tuſcis interfluit ortus ab oris.
Hinc, atq́; hinc humili ſurgunt ubi uertice colles,
Frondentes ſemper colles, ſeu frigus ab arcto
Vrgeat, haud hyemis dubitant ſuperare rigorem,
Seu ſol æſtiuas emittat in æthera flammas,
Seſe non ceſſant aura recreare ſalubri
Vndiq́; conuectos priſci quo ſæpe Quirites
Duxere æternos Capitolia ad alta triumphos,
Omnibus implentes uirtutis honoribus orbem.
Hic tali, ac tanta cum ſis orator in urbe:

Et

Et uacat à curis patriæ : & teris otia ſolus ,
Num venit in mentem tibi , quod mihi ? namq́; ego ſæpe
Hæc mecum . ò ſi quis tali , qui primus in vrbe ,
Antiquæ Romæ imperio , mentemq́;, animumq́;
Conciperet dignum , peperit quod plurima virtus ;
Et præceps dedit hæc eadem in contraria verſa .
His omni monitus virtutem ex parte uocaret
Terrarum Romam , ſeptem ſe attollere colles
Inciperent , ſeſe & diffundere nomen in orbem
Romanum . populi leges, & iura uolentes
Acciperent ; quondam ut Romæ. Nunc optima quæq́;
More iacent noſtro . Si quid laudabile : ſunt qui
Iure putent ſimulatum id totum , alioq́; relatum .
Hinc odium , hinc magnæ nata eſt contemptio Romæ ,
Quid ? ſi ſe regere imperium cæleſte putaret :
Vt regit , aq́; Deo curæ commiſſa fideli ?
Fallere quem nemo poſsit . qui reddere coget
Quemq́; ſuæ prima repetens ab origine vitæ
Et dicti ; & facti rationem : quæ quis & intus
Condiderit tacitus depromere cuncta iubebit .
Quem mirabuntur candente in nube ſedentem
Matres , atq; uiri , & variæ longo ordine gentes ,
Terribilemq́; oculis , & maieſtate uerendum ?
Nonne putas alia ſubito tum mente futurum ?
Nonne ſuos ſua quæ non ſunt partitus in vſus
Rite Deum , atq; homines placaret ? nonne repente
Mutaret totum uitæ genus ille ? patrumq́;

Sanctorum induceret mores, fælicior omni
Principe, principibus cunctis uenerabilis? ut nos
Cum ſeruis aliquid noſtris mandamus, ita illi
Parerent dicto ſenioris. At arma iacerent
Subiecta illius pedibus Mauortia; plusq́;
Nutu proficeret, Cæſar quam Carolus armis,
O tum quæ facies urbis, quæ ſurgere templa
Dandule conſpiceres, hominum qui cœtus in urbe,
Quàm ſimilis noſtro Polo. pictasq́;, pudorq́;
Europæ, atq́; Aſiæ partes manaret in omnes.
Fuſa Dei hunc propter ſuprema à luce benigni
Fœcundo plueret tum gratia ſemine terris.
Hunc ego mortalis uitæ compage ſoluta,
Quam tamen (ut licet hic) exegerit ipſe beatam,
Cæleſtum ſublatum alis ſuper alta uolare
Sidera crediderim, & numero ſuccedere diuùm
Viſuros homines, cui uota, & ſacra quotannis
Aetas ſuſciperet mirata hæc poſtera. ſed non
Hæc animo miſeri fatis agitamus iniquis,
Aduerſis aut diis non credimus, ore tot olim
Quæ cecinere patres: Deus eſt effatus, & ipſe,
Tantum importauit res huc priuata malorum,
Tantas blanditiæ mundi effudere tenèbras.
Hæc ſæpè, ut dixi mecum, quæ ne patiare
Efferri rogito. Sola hæc tantum tibi ſoli
Scripta, aut cum magno duces communia Polo.
Quem docuit puerum quondam demiſſus ab alto
Spiritus,

Spiritus, inſcuitq́; pios ſub pectore motus
Diuinos animi: & cæleſtia ſola tueri
Donauit: nobis conceſſum hoc tempore ueræ
Exemplum, & ſolidæ virtutis. Nonne ego fœlix
Sim, ſi forte alta reſidentem in ſede uiderem?
Nam reor hunc (ueri ſi quid mens augurat) eſſe
Illum, reſtituat claræ qui nomina Romæ.

REGINALDO POLO CARD.

O ALTO qui cuncta animo circumſpicis, & quæ
Recta, & curua uides, fugis hæc, legis illa, nec ulla
Vis potis eſt animum recto deducere, ſi tu
Forte probas, Libyæ domitor quæ ſæpe ſolebat
Dicere, & egregio de pectore fundere in auras:
Optandum, & conandum acri, aſsiduoq́; labore,
Vt ſimus primùm, deinde vt uideamur honore
Digni, tum nobis poſtrema, atq́; ultima cura,
Quod tamen eſt hominum primum pleriſq́;: ſed ægris
Ipſe honor: anteferes Romanis Pole triumphis:
Quòd tua te virtus in cælo ponit, & aſtris,
Quòd te mortales omnes iuueneſq́;, ſeneſq́;
Optabant ſacris præfectum rebus, & eſſe
Errantum paſtorem ouium, qui paſcua læta

 Mon-

Monſtrares, dulciq́; impleres ubera lacte.
Et, ſi non ullis hominum mens læua fuiſſet,
Paſtor eras, ſed te Deus ad maiora reſeruat
Fortaſsis momenta, nihil nos nouimus, ille
Omnia, & æterno moderatur cuncta tenore.
Interea longo quondam quæ nota labore
Prælucente Deo tibi ſunt pater optime ſacris
Eruta de libris; noli occultare, ſed auras
Profer in æthereas, uolitent ſine pectora circum,
Et doceant Chriſti cultum: qui miſſus ab alto eſt
Aethere, ut in cæli clara nos ſede locaret;
Dumq́; hoc, dumq́; illud laudant diuerſa ſequentes,
Inq́; ſuum erranteis errorem ducere tentant
Quiſq́; uiæ ignaros: certa uix lege tenemus
Illius præcepta, ferant quæ ad ſydera cæli:
Qui potes huc fer opem, populo ſuccurre labenti;
Da lucem tenebris, caligineq́; hinc procul acta,
Veram oſtende uiam, ſoli tibi quæ patet, & iam
Olim trita tuis pedibus ueſtigia ſeruat,
Fac tonet eloquii, fac fulminet illa tibi uni
Vis conceſſa, Deus quoties totum rapiet, & te
Ad ſua conuertit: te talia munera poſcit
Et Deus, & noſtri magna inconſtantia ſecli.
Aggredere, & noſtros pater optime dirige greſſus:
Qui tanto ſtudio ſacros euoluere libros
A puero es ſolitus, puriſq́; haurire liquores
Fontibus, irrigui manantibus æthere cæli.

Hæc

Hæc erit una Deo gratiſsima uictima cunctis
Egregibus, nec te hanc pigeat mactare cruenti
Succinctum de more Popæ. Tibi tertius olim
Hæc eadem iuſsit Paulus, iam iuſſa capeſſe,
Aut potius cœptum percurre, & perfice munus.
Sic tibi propitius faueat Deus uſq;, tuamq́;
In terris uitam ſeruet ſine labe decoram,
In ſedeis tua te accipiens poſt fata beatas.

M. ANTONIO GENVAE.

O Parcam immitem: quæ te florente iuuenta
Nicoleos Paſſer ſuſtulit ante diem,
Tu patriæ decus, & magni ſpes unica patris,
Extincto qui te uix ſupereſſe poteſt,
Te placido uidit naſcentem lumine Phœbus
Et dedit ante alios munera habere ſua,
Et citharam, & cantum iuuenem docuere camœnæ,
Diſcere uix ulli quæ potuere ſenes,
Salue perpetua iuuenis digniſsime uita
Inter & æternos, dignior eſſe Deos,
Ad quos credibile eſt te iam migraſſe, parentem
Amplius ut tua ſit funera flere nefas,
Patrem infelicem iam deſine ſæpe uocare
GENVA te, nemo nam miſer eſſe poteſt
Tales qui generat diuino ſemine cretos:

Nicoleos qualis iam fuit ante tuus:
Cuius in egregio ſubcreſcens pectore virtus,
Arbor ut ad curſum lenè fluentis aquæ:
Vere nouo teneris quæ ſe ab radicibus effert,
Et ramos curuat fronde uirente ſuos:
Aut velut in pratis arridens purpureus flos
Ornabat quondam teq́; tuamq́; domum,
Poſt tener in tenues paulàtim exaruit auras,
Ad ſuperas rediens, uenerat unde, domos,
Nunc ornat cæli fulgentia templa: Deûmq́;
In cœtu dulci paſcitur ambroſia,
Vnde abſunt uentiq́;, imbresq́;, & frigus, & æſtus,
Et quæcunq́; animum ſollicitare queunt,
Illic Heroes nati melioribus annis,
Spes illic omnes qui poſuere ſuas,
Et purè egerunt vitam, dum vita manebat,
In quibus æternum nunc pia vita manet,
Illic diuino felices ore fruuntur,
In quo non oculis peruia mira vident;
Quæ ſint, quæ fuerint: quæ mox ventura: figuræ
Vt variæ in ſpeculo ſplendidiore nitent,
Illuc expectat te patrem filius: vna
Pæana ut lætum lætus vterq́; canat.
Non prius ipſe tamen, quam longum expleueris æuum:
Cæleſti & patriæ feceris arte ſatis:
Tum te ſublatum nato comitante beatas
Euehet ad ſuperum lucida turba domos;

Fortunati

Fortunati ambo tum, quum compleueris annos,
Quos hominum cauſa te iubet ipſe Deus,
Pone pium luctum; dii quæ uoluere, decet nos
Velle: fluunt (ut ſcis) ordine cuncta Dei.
Nullo ad nos redeunt, quos fata tulere dolore;
Ipſorum ante oculos multi obiere patrum
Nec reuocari datum eſt illos: nam flectere fata
Nulli (quæ ſolido ſtant adamante) licet.
Parce piis lacrymis, & tu tibi conſule: ne mors,
Improba mors nobis auferat una duos.
Præripe docte pater, iam præripe temporis uſum;
Quo dolor à nobis irritus omnis abit.
Temporis hunc fructum ſapiens iam percipe, non eſt,
Non eſt mors lacrymas digna mouere tibi,
Quem dii, quem ueterum libri inſtituère, redi ergo
Ad te, hoc eſt, animum Genua care tuum
Parte tui & meliore rege, ac dominare, tuosq́;
Ante oculos tibi ſint munera tanta Dei,
Quæ tumet reputans animo depone querelas,
Vt potius gratus, quam miſer eſſe uelis,
Cumq́; ſuos natus cum laude exegerit annos:
Non ſine laude annos exige & ipſe tuos,
Et te præſtantem uirtutibus exime uulgo,
Non decet in lacrymis uitam agitare uiros;
Sublimem ingenio ſic te mirabimur omnes,
At lacrymas uincet fœmina quæq́; tuas.

FEDERICO

FEDERICO FREGOSIO.

ELATVS quoties penetro ad cæleſtia mente,
Surreptum mi animum ſentio, & ambroſia.
Cum ſuperis ueſci, totaq; abſiſtere terra,
Mortale, &, quidquid, depoſuiſſe, fuit,
Tum iubeo reges, tum regum ſceptra ualere
Nomina in æternis, uotaq; noſtra malis.
Quis furor eſt? Quæ mens, tanto appetiiſſe labore,
Quæ tenui pendent regna aliunde coma.
Quæ breuis hora adimit, curarum & millia portant,
Inſidiasq;, metusq;, inſtabilemq; fidem,
Poſſe quibus credas tuto committere habenas
Imperii, & natos, teq; tuamq; domum?
Quid dicam cupidas paſcentes pectora flammas,
Nauis ut inſano ſæpe agitata ſalo eſt?
Aut ſi quem Alpinæ morbum aduexere pruinæ,
Et turpem podagram, & quæ Venus ipſa facit
Inſani heu quanto populi mercantur honores,
Et quanto miſeris ſtat leuis aura fori,
Non ne fuit ſatius ſecura per ocia vitam
Ducentem potum ſumere fluminibus.
Et malua; Aſphodeloq; famem depellere triſti,
Vt te oblectares dulcibus illecebris?
Et modo quæ primis, ſint quotue exordia rebus,

Vnde

Vnde tener tantas ſuderit orbis opes.
Diſcereq; à primo moueantur ut omnia certis
Imperiis, ſine cura, & ſine parte tamen
Sacrato is cæli poſuit ueſtigia templo,
Terrarum & docta temperat arte ſola.
Vt quædam aduerſo voluantur ſydera lapſu,
Certa per incertas irrequieta uias.
Quæ pecudesq;, hominesq; ferunt ſata corpora, quæq;
Mox heu heu ſpatiis interitura ſuis.
Vt paruo ſurgat de ſemine maxima quercus
Iactet, & intonſas alta ſub aſtra comas,
Et uariis affecta modis, frigusq;, caloremq;
Inter, ut occulta labe perenne fluant.
An non hæc auro, & ſceptro anteferenda? quid illa,
Illa animis cupidè ſola petenda piis?
Vnde pater Tyberinus, & vnde erumpat Enipeus,
Fulminaq; ingenti miſſa fragore tonent,
Incipiant quibus ex cauſis ardere Cometæ,
Spargereq; hirſutas cana pruina caſas.
Et nix, & grando, & pluuiis in nubibus arcus
Quæq; uolant pelago flamina quæq; ſolo,
Euertuntq; rates, euertuntq; æquora ſyluas,
Euertunt raucum murmur ubi illa cient,
Iucundus teneris cur ros ſitientibus herbis
Altior irriguis cur cadat hymber aquis,
Arborei qui ſe fætus ad luminis auras
Subiiciant campos, & iuga ſumma tegunt,

Quæ uolucrum natura, & quæ ſit quadrupedantum,
Et quæ marmoreum, quæ mare monſtra parit,
Atq; animæ, atq; animantum uisq;, genusq; quibusuè
Partibus hæc, ut ſic ingrediantur habent,
Hinc licet, hinc magni conſcendere limen Olympi,
Et duce diuinos mente uidere deos.
Tum cupias animam deponere, tum tibi parua
Magna aliis, tum nil regna fuiſſe Remi.
Tum gemmas, aurumq; tibi ſordere putabis;
Quæq; Tyros, quæq; munera mittit Arabs.
Tum ſæpe obductas miſerabere ſenſibus umbras,
Damnaq;, & in damnis pectora cæca ſuis.
Fœlices heroes, in his, qui tempora uitæ
Et curas poſuere, & docuere alios.
Saluete heroum diuûm genus; & mihi adeſte,
Nam uos cœleſtes iam reor eſſe deos.
Fortunatus & ille, hos ſit quicunq; ſecutus,
In quibus ò animi maxima cura mei,
Occurris Federice Deûm certiſsima proles,
Nam tibi naſcenti dona tulere Dei,
Ingeniiq; aciem ſublimi corde agitantem
Maxima quæq;, boni conſiliumq; animi.
Tu patriæ quoad potuiſti iura tueri;
Obiectaſti animam frater & ipſe tuus
Italice deflendi ambo, ſiue ira deorum
Hæc fuit, impendent ſeu grauiora mala.
Fatalemq; trahant caſum nunc noſtra neceſſe eſt
Imperia,

Imperia, & Latii concidat omnis honos.
Sic nobis noſtræ eripiuntur robora gentis;
Sic Marco ærata machina glande tonans
Abſtulit (o dictu miſerabile) crura columnæ,
O nimis indigna Marce perempte nece:
Tu poteras lapſis ſolus ſuccurrere rebus,
Antiqua & veterum facta referre patrum.
Te te implorantesq; deos, & triſte querentes
Auſoniæ populi nocte, dieq; uocant.
Scilicet hoc etiam, Italiæ reſtabat ad omnem
Interitum, ut geminis ah miſera orba oculis,
Quod reliquum antiqui decoris fuit, ire per alpes,
Ire per vndiſonas, aſpiceretq; uias,
Carcereq; incluſum fratrem, & ſine more ſuorum
Arceriq; hominum dulcibus alloquiis,
Amiſſum Italiæ decus, & tutela Latini
Nominis, ò patriæ proditor, ò ſcelus, ò
Ter deteſtandum caput, immani edite monſtro,
Et monſtro ſiquid fœdius eſſe poteſt.
Tu patriæ miſeræ pepigiſti funera, ut hoſtis
Barbarus annorum mille teneret opes.
Nec te funeſto commouit buccina cantu,
Viſcera cum patria dilaceranda dedit.
Vtq; triumpharet ſpoliis ornatus opimis
Per mediam Italiam Barbarus Italiæ.
Tu ciues patria, gaza tu paſſus auita,
Et vita ſpoliari, atq; alios miſerè,

Captiuos duci penè, & conſidere in ignes
Omnia, quem ut regeres uix ciuis ipſe foret.
At non Fregoſii tales in te ante fuerunt,
Sed capto ignorunt pro pietate ſua.
Cuius erant cineres iactandi per freta ponti,
Tyrrheni littus frangit ubi unda maris,
Ne patriæ aſpicerent crudelia funera ciues,
Quo ſolo ſemper frater uterq; gemet.
Hoc dolet his ſolum & noctesq;, diesq; recurſat,
Stans patriæ ante oculos flentis imago ſuæ,
Conſolandi ambo, quod cura potuere, tulerunt
Auxilium patriæ corporis, atq; animi.
Quod cum reddebant cupienti & iura uolenti,
Tum circumiectis omnia læta locis
Ridebant ipſæ uiridanti uertice Nimphæ
Nectebant doctis florea ſerta comis.
Fortunati ambo, quorum niſi conſcia recti
Mens patriæ optauit iura beata ſuæ,
Nunc uelut æſtiuo, qui membra labore ſolutus
Ponit in herboſa corpora feſſus humo.
Qua latis Platanus diffundat bracchia ramis,
Et tenui fugiat murmure riuus aquæ.
Sic ille inuictoq; animo, & pietate deorum,
Quamuis barbarico uincula more gerat,
Ille tuus liber meditabitur orgia frater,
Quæ docuit ſupera miſſus ab arce Deus.
Qui, ſi qua eſt diuum pietas, ſi gratia recte

Factorum,

Factorum, ſi non Gallia tota ruat,
Franciſcusq́; Deo ſimilis rex, maximus heros,
Franciſcus, belli fulmen, & orbis amor,
Ante diem ſi non pallentibus occubet umbris,
Reddetur fratri pignora cara tibi.
Expertæq́: ſcelus patriæ, ſuaq́; ocia terris
Auſoniis, ſuus & reſtituetur honos.
Tu uero interea noſtri pars altera cordis
Cui cum ſum uigilans, ſuaq́; ubi ſomnus habet,
Ingrediere ſacer vernantis graminis hortos,
Vnde pater flores legerat ante Plato.
Et regum contempſit opes, Siculosq́; tyrannos,
Perſarum & maior regibus Aſſyriis,
Teq́; homines ſuper & terræ ſuper ardua tollens
Ante ipſos ſtatues te Federice Deos.
Stellantemq́; domum, & res contemplabere ſanctas,
Factus humi quidam, ſanctior ipſe Deus,
O utinam poſſem tantis adiungere rebus
Me ſocium lateri ſarcina fida tuo.
Iam non Aerii prærupta iuga Apennini,
Pulſantesq́; Alpes ſydera uerticibus,
Nec fratris pœnas repetens Iouis excita nutu
Peſtis in Inſubres tardet acerba pedes.
Sed me me miſeri retinent mandata parentis,
Me miſerum exagitat flens gemensq́; pater.
Et negat, hæc fœtus, uitam producere; linques
Tu dulcem Italiam, uitam ego nate miſer.

Aſpergitq́; ſenex lacrymarum fontibus ora,
Ora, ſinusq́; ferens oſcula dulce genis.
Hei mihi cui parua eſt miſerorum cura parentum,
Tyſiphone huic Stygiis concita fertur aquis:
Intentatq́; faces nigris armata colubris,
Mittit & ultrices dira ſub ora canes.
Tu potius concede aliis loca dura Latinis,
Et celer ad Latios ipſe recurre lares.
Me tecum Oceano ſurgens Aurora uidebit,
Heſperiis præceps ſolq́; cadens tenebris.

IN OBITVM MONTANI.

DEFVERAT ne etiam Pataui mæroribus illud,
Arte ut præſtantem medica Montane ſeuera.
Te raperent Baptiſta deæ? Tu cara relictus
Spes Italæ genti, cogebas agmine magno
Confluere ad claram ſtudiis Antenoris urbem
Vndiq́; migrantes iuuenes ut Apollinis ore
Miſſa tua excipiens ſtudioſus dicta notabat.
Ergo hæc æternum, atq́; æterno tempore digna
Euoluens doctorum hominum uox ſenſa ſilebit?
I nunc, & magno noctesq́;, diesq́; labore
Inuigila ſtudiis: medio in certamine curſus

Cuncta

Cuncta interrumpunt nobis crudelia fata.
Non ſatis heu fuerat leges, nodoſaq; iura
Soluentem, decus Auſoniæ amiſiſſe ruentis
Cagnolum, & cunctis quo non fuit aptior alter
Obſtruſas aperire uias, & tramite certo
Ducere ad antiqui iuuenes penetralia iuris?
Ah te etiam, Montane, orci inuidere rapacis
Vrbi Antenoreæ, & non exorabilis ulli
Immites nimium leges. te flumina amœni
Luxerunt Atheſis, poſitis te frondibus ipſi
Euganei flerunt colles. te propter eundem
Iactauit triſtis medicina ad ſidera queſtus.
Pergami honorato ſalue comes addite ciui,
Longæuoq; ſeni, tellus quo gaudet alumno
Coa, Deos inter numerando, interq; colendo.
Salue perpetuæ lacrymæ Montane tuorum,
Auſoniæq; ſimul, Pataui ſtudioſa iuuentus
Purpureos tibi nunc flores, lacrymasq; tepentes
Spargimus, hoc & te dono cumulamus inani,
Aeternum Montane uale, ſalueq; canentes.

ALEXANDRO

ALEXANDRO
CAMPESANO.

CVM venit in mentem patriæ, (quod ſæpe fit) illam
Contemplans animo, quæ nos in luminis oras
Edidit: & primis nos educauit ab annis,
E deſiderio ipſius (mihi crede) liqueſco.
Occurrunt luſus pueriles: ut modo Phœbi
Cantabam laudes: & nymphas rure uagantes;
Inter & æquales certabam ſæpe canendo,
Hic dum Medoaci ſuadentis murmure ſomnos
Pellucentem undam, quo non argenteus alter
In mare purpureum, nec purior influit amnis,
Nec melior piſcatu, nec quo plura vehantur
Commoda Baſſano, claræq; Antenoris urbi.
Ille autem dum alto ſurgentes uertice montes,
Et colles humiles, oleaq;, & uite uirentes
Concelebrat magno Muſarum incenſus amore.
Victori ex lauro mihi cum decreta corona eſt,
Occurrunt dulces, animi ſolatia, amici,
In quibus es noſtræ decus urbis candide longè
Primus Alexander, uos cum contemplor, abire, &
Hinc uelut abruptis uinclis properare laboro,
Tandem liber equus, caueaq; emiſſa uolucris,
Ociaq; in patriis agitare penatibus alta.

Quò

Quò modo Parnaſsi deducam uertice Muſas,
Fonte meos ſacro puros haurire liquores
Ingenio inſignes ciues, animisq; docendo.
Interdum grauiore ſono tractare, beatam
Efficiant quæ nam uitam mortalibus ægris;
Abdita naturæ nonnunquam oſtendere, & ipſos
Cælum immortales torquentes, omnia motu
In terris quo ſe attollunt in luminis oras
Aggrediar; doctis poſsim ſi intexere chartis.
Nomen ut extremas noſtrum extendatur in oras.
Qua ſol oceano radiis ornatus eoo
Surgit: & Heſperiis rapidus ſe condit in undis.
Quaq; Aquilo erumpens gelido ſe proripit axe.
Et fugat è toto longè uaga nubila cælo.
Qua Notus aduerſis madidus circunſonat alis.
Nec tantum famæ moueor, uel laudis amore,
Quanquam, o, (ſi melius) clarum concedite nomen
Dii ſuperi: quia pulchrum, & magnificum eſſe videtur
Docta uirùm ſemper ferri, & uolitare per ora.
Sed magis optarim, nullo ſine nomine, noſtro
Vt fierent homines meliores uſq; labore.
Nunc inter ſyluas denſa ſub fronde latentem
Me iuuet ex alto reuocare ad ſibila turdos
Aethere: diſpoſitoq; incautos fallere uiſco.
Auritæ intentos uolucri, querulisq; ſuorum
Vocibus, implicitos mox hos lentore tenaci
Spina per, & frondes, & roſcida gramina quæram.

K *Et*

Et capere, & captos uobis oſtendere amici
Conabor lætus: vobiſcum prandia ducens,
Qualia uel reges curis ſub pectore motis
Inuideant nobis: ſintq; inuidenda profectò,
Sæpè & Medoaci nitidis piſcabor in undis
Non ſine te, ſine quo nihil eſſet dulce, mearum, o,
Delitiarum maxima pars, quem ſemper amabo,
Semper honorabo, tua nos ita plurima uirtus
Cogit, & ardentem ſub corde accendit amorem
Medoaci, quo nil nobis iucundius uſquam eſt.
Cuius in aſpectu frondentes undiq; circum
Stant Angarani colles, quibus Iſmara Bacchum
Concedant, viridemq; oleam pater ipſe Taburnus,
Poma uel Alcynoi ſyluæ, gratumq; tuenti
Proſpectum è ſpeculis terrarum quidquid ubiq; eſt.
Hic, vbi magnificas ædes Vir magnus & ipſe
Extruit, ingentemq; animum ſub pectore uerſat,
Largus opum, hoſpitio clarus, prædulcis amicus,
Optimus & vita idem & moribus, o, ego longos
Quàm vellem ſecum cantando condere ſoles,
Medoaci placidum dum audimus murmur euntis.
Quàm uellem plenis piſces depromere naſſis,
Medoaco quos inuideat Benacus & ipſe:
Et ſi quis gelidis miſer exardeſcit in undis
Magno Arethuſa tui ſubter mare lapſus amore.
Non è piratis genus hi duxere: ſed ipſe
Innocuos mediis genuit Neptunus in undis.

Et

Et dedit ante alios piſces candore niuali,
Et ſaltu, & ſquamis ſtellas referentibus ire.
Hæc & plura animo ſubeunt noctesq́;, diesq́;
Ingenti cum ſim patriæ perculſus amore,
Et ueſtri, mihi quos referunt inſomnia ſæpe,
Quæ nos Euganeis deducunt collibus iſtuc,
Quanuis Bacchus amet, quanuis Ioue nata Minerua:
Atq́; inuita ſuis multo præponat Athenis.
Tu uero ſi quid contra hæc opponis, amice
Scribe mihi: & celeri obliuiſcere parcere pennæ.

FINIS.

Atqui, ſi inexorabilem inclementiam
Tuam, neq; uxor optima,
Nec liberi, nec lacrymans Campeggius
Illi omnium cariſsimus;
Nec monuit urbs Antenoris, nec quicquid eſt
Ab Alpium radicibus,
Mariq; ſupero, & infero circundatum,
Mouere ſaltem debuit
Soboles Iouis, ſororium Phœbi decus,
Et grata Muſarum cohors,
Quæ uocibus, quæ lacrymis, quæ luctibus,
Parnaſsi abusq; uertice
Sic te rogabant. Ah puella præpotens
Mortalibus concedere, &
Negare rurſus, quicquid eſt gratiſsimum
Rerum omnium illis; reſpice
Nos ſupplices, nos ſordidatas, nos Iouis
Semente natas, unde tu:
Nec ſæuias in hæc amica uiſcera,
Decusq; noſtrum Lazarum,
Qui uixit annos, nempe quot ſoli ſibi
Satis fuiſſent, ac ſuper;
Sed non quot ipſæ optamus, atq; amiculi
Boniq; ; & illuſtres uiri:
Quibus benignè ſi obſequèris, ut decet:
Non triplicem annorum ordinem
Statues ei, quem Neſtori, aut quot annuis

Amantis

LAZARI BONAMICI BASSANENSIS CARMINA.

Votum, cum Ariſtotelem Latinum facere pararet.

SI pietas, ſi te tangit bone Iuppiter vlla
Cura hominum, exaudi uota, preceſq; meas.
Non peto, ut Herculeis robur ſpirare lacertis,
Nirea purpureis nec ſuperare genis,
Nec mihi des alios regnis anteire, nec auro,
Aurum, regna, decor, robur, Apollo mihi eſt.
Huius mi dulces artes, ſophiamq;, lyramq;
Si dederis; dederis omnia, magne pater.
Magne pater, caſtas precor ah, ne deſere mentes,
Aetherio & ſenſus ſparge liquore meos.
Vt tua Romanis celebrem ſolennia templis,
Romanam indutus candidus ipſe togam.
Et dicam, magnis fauit quia Iuppiter orſis:
Lazarus hæc magno fert pia ſacra Ioui.

Ad Romam.

Nil ſine te mihi Roma placet pulcherrima: doctis
Me tamen abducens, nil mihi Roma places.
Felices vbi ſunt animæ melioribus ortæ
Auſpiciis, ibi ſit maxima Roma mihi.

Organum ex Alabaſtro.

Ordine creſcente, & decreſcente ex alabaſtro
Aſpiciens calamos Pan Tegeteus, ait.
Sit mea, ſit ſyrinx, nobis ſat cana paluſtris,
Maiori hæc aliquo munera digna Deo.

Ad quoſdam, à quibus nimis profuſè laudabatur.

Non Cicero, non Virgilius ſum; ſum tamen ipſe
Lazarus, Aonii creber arator agri.
Et conor cunctis ſacros aperire liquores;
Ebibit unde olim Tullius, unde Maro.
Demum alii ſummum tenuiſſe Helicona ferantur.
Mi ſat erit, medio ſiſtere poſſe iugo.

In libros Cic.

Hæc Iuuenis M. diuina uolumina Tulli
Verſabam, aſsidua nocte, dieq; manu,
Lazarus ingenti, & dulci inflammatus amore,
Eloquii cuius lumine cuncta nitent.
Cui parent hominum mentes, irataq; cedunt
Pectora, quod fama tollit ad aſtra uiros.
Salue animi uis ſuada, tuisq; illabere pennis,
Terrarum tecum per ſola nosq; feras.

Affixum Arquati ſupra fontem.

Fonti numen ineſt: hoſpes uenerare liquores;
Vnde bibens cecinit digna Petrarca Deis.

Has fagos inter altos aſſurgit in auras,
Et latè gelidam pinus obumbrat aquam.

Hic

Hic ubi Montiuagæ Nymphæ, ſatyriq; bicornes
Dicunt ad certos ruſtica uerba modos,
Et fugit æſtiuos ſoles, imbremq;, ſitimq;,
Herboſa ponens membra uiator humo.
Hic ego rugoſis incido carmina truncis
Sæpe uiatori ſæpe canenda Deis.
Alcon quæ luſit paſtorum maximus olim,
Dum læto ad Tyberim gramine paſcit oues.
Alcon Euganeis, Alcon memorandus in oris,
Hæc nemora, has ſyluas dum mea muſa colet.
Illi etiam faciam: & patera hac libabo quotannis
Conſidens propè flumina Medoaci.

Mortalem me noſco breues ſupereſſe per annos,
Cui datur afflicto ſemper & eſſe animo.
Sed quum contemplor cælum, ſuperósq; mouentes
Aſtriferi æterno tempore ſigna poli,
Tunc humili uideor longe tellure remotus
Cum Ioue depaſci nectar, & ambroſiam.

Hic violæ, hic herbæ molles; hic inter & herbas
Vndiq; humus uario picta colore nitet.
Cinctaq; purpureis arrident prata roſetis,
Et uolucrum reſonant omnia carminibus,
Huc ſi forte pedes tulerit formoſa Neæra;
Diſpeream, in cælo ſi magis eſſe uelim.

 Vidiſtin

Vidiſtin mea lux quicquam crudelius, ipſe
Quem toto exagitat pectore ſemper amor,
Et cupio, & metuo, & quo me meus abſtulit ardor,
Frigidior glacie mens mea me inde trahit.
Dii facite, aut minuam tam magnæ incendia flammæ;
Aut æſtu mecum mens mea victa cadat.

Quæ uobis iam uota, tenes qui ſumma lycæi
Pan, tenero & pingues gramine paſcis oues.
Tuq; adeo Dea uirgineo circundata cœtu,
Medoaci ad ripam, cui pia thura damus.
Accipite claudumq; ſuem, claudumq; iuuencum,
Et fruges pleno, & dulcia muſta lacu.
Nam lupus ille olim noſtri inſidiaror ouilis
Nunc ueſtro eſt factus numine præda canum.
At cum uere nouos tellus formoſa colores
Suſtulerit, quæ ſunt carmine uota canam.

E Græco.

Stella meus ſtellas nunc aſpicit, o, ego cælum
Eſſem utinam, ut multis aſpicerem te oculis.
Stella prius uiuis fulgebas lucifer; at nunc
Stella micans caſſis lumine ueſper ades.

Thyrſis oues paſcens Nympharum, Pana uel ipſum
Thyrſis arundineis æquiparans calamis,
Dormit ad umbriferam pinum; ſumptoq; bacillo
Cuſtodit pingues ipſe Cupido greges.

Ah Nymphæ; Nymphæ paſtorem excite, ferarum
Morſibus ab duris ne laceretur Amor.

E Græco.

Iam domita ingratæ canis, rugisq́; ſenectæ
Illa olim innumeris Lais amata viris,
Ante tuos venus alma pedes repetita iuuentæ
Dona ferens, ſpeculum, talia dicta dedit.
Qualis eram quia non licet hoc me cernere: qualis
Sum uero nunc, odi, hoc tibi Cypris habe.

Has tibi delectas ab apricis collibus uuas,
Quà facit obliquo flumine Rhenus iter,
Fert Lycidas formoſe Mycon; quas carperet ipſa
Cum tua Leucippe, baſia multa tulit.
Et tulit, & dixit. Cur non ego mutor in iſta
Munera, muneribus diſpeream ut ipſa meis.

Auanti pater, optimos poetas
Nobis reſtituens, labore magno,
Et magna ſimul eruditione,
Quas ciuis tuus egerat Catullus
Grates, non modo Romuli nepotum
Summo; uerum etiam omnium diſerto
Vt poſſum tibi nunc, ago, benigne,
Quòd dono mihi miſeris Catullum
Purgatum, endecaſyllabosq́; molles;
Tantò candidius tamen Catullus;
Quanto eſt optimus omnium poeta.

Nymphæ Felſineæ, Nymphæ ſub præſidis ora
Quæ latè hic nitidis exiliuſtis aquis:
Quis retro auertit turbatas impius undas?
Impius ille; pii qui male nomen habet.
Non minus immundas luculento gutture uoces
Eructans noſtras inficiebat aquas,
Quàm ſolet è cœno emergens ſus horridus omnes,
Attactu & fædo polluere ore roſas.
Hunc procul, hunc præſul, ciuesq; arcete; repente
Extet ut hic ſolita fons ſacer omnis aqua.

Ne mirere ſacrum laticem hinc fugiſſe; prius qui
Gaudebat ſacri flaminis ore frui,
Nympha fui doctæ montis ſub uertice nata
Vrbis, & illa mei gaudia cordis erant.
Florentem aſpicerem ut ſtudiis hanc uiſere iuuit,
Iuuit, & inuaſit maximus inde dolor.
Ut uidi horrendum monſtrum pottenta Pionem:
Hæc hæc Herculeo eſt more pianda lues.
Huc fer opem Bernarde piam, ſuccurrite ciues,
Ferte ignes, lapides ferte foriſq; date.
Perniciemq; auferte Deumq; , hominumq; nefandam,
Ipſumq;, & monſtri quidquid ubiq; tulit.
Tunc ego læta mei ſub principis ora redibo,
Quàm prius & uena hic uberiore fluam.

Hæc mala, hæc pruna, & quæcunq; feracibus aruis
Gabola,

Gabola, aprici ruris ocellus habet.
Munera ſunt à me rerum ò pulcherrime Thyrſi,
Thyrſi decus paſtorum omnium, & omnium amor.
Te Nymphæ ante alios, Te Pan, ſatyriq; bicornes,
Dulciter Aonidum te chorus omnis amat.
Quòd ſi te Alcippe dilexerit alba papillis,
Capta his muneribus iam Deus alter eris.

Vos ò quæ montis ſpeculam, & iuga ſacra tenetis,
Et Rheni hic æſtus ſæpe leuatis aquis,
Dulces, & caræ nobis ante omnia Muſæ,
Et Muſis uinctæ Nymphæ Ephydriades.
Liba hæc dat uobis, uobis hæc carmina ponit
Inciſa hoc teneræ cortice caſtaneæ.
Et puer, & Phœbi ſpes maxima paſtor Amyntas;
Dum placido niueos merſat in amne greges.
Ut quantum hæc arbos, tantum ſuccreſcat in horas
Et pecus, & dulci fiſtula blanda ſono.

Quod uentos, imbresq; ferat cum grandine ſecum
Carolus; hoc nutu quis neget eſſe Deum?
Iuppiter his magna euertit terraq;, mariq;,
Et facit, ut cuncti numina ſancta colant.
Marte hic, & reges, & magnas territat urbes;
Cæſaris ut cuncti ſceptra benigna petant.

Macte animo dulci pro libertate, potentum
Territa

Territa non vllis viribus, atq; minis.
Non auro aut tectis parcens, uitaq; periclis,
Vt patrios poſſes iure tenere focos.
Ingeniis ſuperans alios Florentia quondam,
Nunc etiam forti pectore maior ades.
Ille orbis terror miles tua mœnia contra
Nil equitum ualuit millibus, & peditum.
Cum te nec Galli, nec qui ſocia arma ferebant,
Non aliquo quiſquam iuuerit auxilio.
Sed te, te pulchra pro libertate monebas;
Et virtus vires, famaq; ſola dabat.
Macte animo, aſſurgens priſcæ Florentia nomen
Italiæ, indocilis colla tenere iugo.
Atq; vtinam (ut dignum eſt) alii tua facta ſecuti,
Dediſcant tandem multa nefanda pati.
Miratiq; tuæ certiſsima pectora pubis
Diſcant magnanimis cuncta patere viris.
Salue principium decoris gens clara Latini,
Inq; dies famæ te magis auctet amor.
Floreat ut magno ſæcli venientis honore,
Et Florentinum nomen ubiq; ſonet.

Arne pater, pater Arne tuam nunc lætus in urbem
Supra ipſum & Tyberim iure ſuperbus eas.
Ille ſui iactet, tu contra pectora Bruti
Firma tui, facto haud par ita vterq; pari.
Cum multis alter mitemq;, ſcnemq; Tyrannum,

Sæuum

Sæuum alter ſolus perculit, & iuuenem.
Plus noue Brute igitur tibi nunc Florentia debet,
Quam Brutis olim Martia Roma ſuis.

Vos operum ſtratæ molles, colleſq; ſuperbi,
Queis modo nunc Romæ nomen inane manet.
Heu quas relliquias diuinæ ſtirpis habetis?
Pro quibus heu uideo quæ ſimulacra locis?
Voſq; triumphales arcus, cæloq; coloſſi
Aequales, Pariis cæſa columna iugis.
Edita piramidum veſtigia, templa deorum,
Digna uel ætheriis amphitheatra locis.
Vos æui tandem attriuit longæua uetuſtas,
Vos longa tandem fata tulere die.
Ad Romam Aeneadum & magnum, & memorabile nomen
Tempus edax rerum tollere non potuit.
Nec poterit clari donec monumenta vigebunt
Ingenii, quæ non ulla ſenecta rapit.
Cætera labuntur celeri fugientia curſu:
Calliope æternum uiuere ſola poteſt.

Tityrus annoſa conſpexit ab ilice Iolam,
Ah miſerum errantem per nemora alta uocat,
Huc ades haud recta eſt uia, quam nunc carpis Iola,
Ducit te incautum uaſta per antra caue.
Excipit infelix arrectis auribus almam

Vocem

Vocem illam, & cœptum tunc cito linquit iter.
Tuque uiam iuueni monſtraſti Tityre, per te
Viuit, cumque ſua Phyllide paſcit oues.
Munere pro tanto tibi ſe nunc dedicat, unà
Cum grege, cum caro colle ſuo uiridi.

Alcippe, Alcippe, nec patris, nec mea iuſſa
Poſſunt te retinere à Corydone procul.
An non ſtulta putas me uos uidiſſe loquentes,
Atq; cito, ut uidit, fugerit ille pede.
Quid dicet uicinia? quid, ſi audiuerit ipſe,
Diceris indignè cui bene nupta Lycon?
Vnquam ſi poſthac: iram experiere parentum;
Et referes factis præmia digna tuis.
Cur non intus abis? male conciliata? quid iſtis
Aſpectas me oculis toruius? intus abi.
Intus abi; niſi uis oculosq;, caputq; bacillo
Comminui; & plena ſtamina carpe manu.

De Lucia Solis Matrona Patauina.

Dum ſolus recreor, nocturnaq; frigora capto,
Ecce mihi à tergo ſol nouus exoritur.
Diſperam, niſi tum me totum ardere putaui,
Et media clarum nocte uidere diem.
Altera lux, noue ſol, ſolis qui lumina uincis,
O, oculis utinam ſæpe oriare meis:
Nam ſine te denſis nox omnia cincta tenebris
Occupat: & tecum naſcitur ipſe dies.

Phœbe

Phœbe tuas inhibe ſole hoc lucente quadrigas.
Ne te omnes ſolis nomen inane putent.
Forſan & è ſuperum pulſo te ſede iubebit
Iupiter hunc alto pandere ab axe diem.
Aut certe terras hunc te luſtrare ſecundo,
Vt ſit in ætheria purior arce dies.
Ni potius cœli rector Iunone relicta
Hanc amet: hanc ſociam malit habere thori.
Sic Pataui vrbs mærens rapta ſibi luce dolebit.
Et minor in ſuperis ſol eris ipſe locis.

In mortem Luciæ Solis Patauinæ.

Lucia, candida lux, mens candida, cui comes olim
Gratia, forma, lepos, dulcis in ore pudor.
Ante diem rapta eſt florente ætate, uel ipſos,
Quæ poterat ſancta luce mouere Deos.
Luget amor: plorat Cypris: flet patria: ſolis
Terra ſui ablato lumine mæſta gemit.
At choreæ, & cantus ſuprema in ſede deorum
Sunt, aucto lætis lumine ſyderibus.

In obitum Luciæ Solis.

Extinctum eſt Pataui lumen; nam Lucia Solis
Lux ipſa, hinc lucem ſuſtulit ad ſuperos;
Inter & aſtra micat Veneris comes, æmula ſolis
Non erat illa diu his digna manere locis.

In gratiam Poli Naldi poſt obitum Luciæ Solis.

Mauorti placuit Venus olim, Lucia Naldo,
Mille oculis iaciens ſpicula, mille faces.
Par decus his formæ, parq́; illis pectus in armis
Sæpe Venus, nunquam læſit at illa uirum.
Quo magis æterno Naldus ſuccenſus amore,
Lux ſua cum tenebris iam premeretur ait.
I decus, i patriæ, & ſæcli lux alma: Dione
Quæ magis es magno digna parente Ioue.
Dixit & hoc noſtri teſtis ſit marmor amoris:
Quo dominæ, & ueræ teximus oſſa deæ.
Libabo hic lacrymis: luctum hic ſolabor inanem,
Multa ferens multis lilia mixta roſis.

Epitaphium Ioannis Laſcaris.

Qui puer Argolico puro de fonte benignè
Hauſit, & Auſonios inde rigauit agros:
Qui mare, qui terras tranſmiſit ſæpe, ualeret
Barbarico ut patriæ colla leuare iugo:
Quiq; animo æquauit reges, Heroas & ipſos,
Laſcaris hoc Iannus conditus eſt tumulo.
Virtutem mirata hunc feſſum ætate recepit:
Solaq́; complexa eſt maxima Roma ſenem.

Ad Henricum VIII. Angliæ Regem.

Rex heros; ingens heros: rex maximus armis,

Maximus

Maximus ingenio, maximus eloquio.
Armis æterna tutatur pace Britannos:
Nec ſibi inexpleto regna aliena petit.
Si tamen eq; Aſia, atq; Europæ finibus hoſtem,
Chriſti hoſtem quondam pellere fata uolent,
Fulminet is, primusq; arreptis intonet armis:
Et ſecum exitium, perniciemq; ferat.
Nuper ut arctoo natam ſub uertice peſtem
Quæ late innumerum ſerperat in populum
Herculeo ipſe modo purgauit, & abſtulit ipſe
Augeæ labem funditus unius haræ.
Hac tu pro pietate deorum maxime cælo
Accipe poſt mundi totius imperium.
Dignus cæleſtes moderari es Iupiter arces:
Terrarum Henricus dignus habere ſola.
Nam ſemper magnis uirtutibus imminet heros,
Ingenioq;, armisq;, eloquioq; potens.
Et uos afflati diuino numine uates
Hunc cythara, hunc multis dicite carminibus.
Dicite namq; bonos, bonus ingenioq;, manuq;
Rex heros, magni rex decus orbis amat.

Votum LAZARI BONAMICI. cum a Duce
Florentiæ incredibili præmio ad moralis
Philoſophiæ interpretationem uocaretur.

Si mihi det hominum, & diuum infinita poteſtas,
Cuius opus mirum eſt quidquid ubiq; boni eſt:
Nec ta meis uerbis uitæ ut præcepta beatæ

Europæ atq; Aſiæ docta per ora uolent.
Omne quodcunq; eſt hoc tanto nomine dignum
Polliceor morum hæc ad pia ſacra pater.
Et reliquum huic ſtudio uitæ nouoq;, dicoq́;
Fata mihi & Coſmo ſint modo læta duci.
Vt iuueni euerſo liceat ſuccurrere ſeclo:
Et Phœbi patriæ laude aperire uias.
Phœbi aperire uias obſtructas ſorde prioris
Temporis, antiquum huc & reuocare decus.
Hoc te perq́; tuum numem, patriſq́; rogantem
Fandi: & nutu dirige noſtra tuo.

Cum Piſas Patauio abiret.

Vrbs antiqua, Phrygum clarum genus, omine fauſto,
Dardanius quo dux carbaſa plena dedit.
Et fidem hic poſuit: ſedem ſimul inde locauit
Cum docta Bacchus Pallade, & alma Ceres;
Si te pro patria colui: ſi ponere quondam
Ipſe tuo ſtatui funera noſtra ſinu.
Omnia ſi feci mihi quæ permiſit Apollo,
Ne poſſem Pataui linquere dulce ſolum;
Incuſes ne me; ſed fata; ualete ſodales,
Vrbs quoq; quæ noſtro es pectore fixa, uale.
Vos ſæpe abſentes noctesq́; diesq́; uidebo.
Euganeiſq́; abſens ſæpe morabor agris.
Ad maiora uocor: ſuadent meliora Camœnæ:
Parcite, quo ducunt minima ſponte ſequor.

Votum

Votum pro Alexandro Ferratio: quem Myconem uocat quo tempore Vincentiæ de loco publicè profitendi cum Petro Bracchο contendebat.

Pan tibi mactatis tribus agnis in mea uota
Nunc tua Leucippus numina ſancta uoco.
Rettulerit ſi forte Mycòn uictricia dona:
Aequis iudicibus debita dona ſibi;
Ipſe ego conſtituam geminas tibi corniger aras,
Hæc Vicentinis montibus, illa iugis.
Stabit in Euganeis cadet hic tibi uictima, & illic
Annua; paſtores carmina certa canent.
Victori quoniam fauiſti diue Myconi,
Accipe promiſsis hæc pia ſacra focis.
Tu quoq; ſi longos iuueni conceſſeris annos,
Ille tuum, & noſtrum nomen in aſtra feret.

Ad Alexandrum Ferratium, poſt habitam cum Petro Braccho contentionem Vincentiæ.

Hoc te docte Mycon Rhamnuſia munere donat,
Aoniis muſæ quod peperere iugis.
Nam tua ſe inſolito lactantem more Lyconem
Deuicit iuuenis fiſtula docta ſenem.
Iam tibi mutata paſtores mente benigni
Arcadia tota iudice ſerta parant.
Quòd ſi quos angues occultè forte uidebis,

Serpere,

Serpere continuò noxia prata fuge.
Ipſæ hic te Muſæ, atq; ipſe admiratus Apollo
Digna tuis meritis præmia multa ferent.
Nos uero Euganeis in Syluis ſæpe canemus.
Io ferax laudis, Io triumphe ferax.

Pro eodem Ferratio in inuidos quoſdam, hoc,
& ſequens epigramma.

Pan Pan, ſine tenes uiridis ſecreta Lycæi,
Seu malea, ſeu quæ nunc magis antra placent:
Audiſti ſi forte nouis quæ carmina Dapnis
Fecerit, Euganeis cognita nuper agris.
Orphea ſe credens, rauca dum cantat auena
Frigida frigiduli Thyrſidis acta ſui.
Ire iube, quà ſe ſe fundit Rhodopeius Hebrus,
Aut ubi deſerti Strymonis unda ſonat.
Thyrſis ut & Dapnis ſtipula nouus, hic nouus
Stridenti ciconum matribus iſta canano Orpheus

Battus ut inflauit calamos, date carmina muſæ
Has inquit propter Bacbilionis aquas,
Et ſimul, o montes, ô flumina, uosq; Napææ,
Vos Syluæ, vos o nymphæ Amadryades.
Thyrſidi Niſa datur. quid non ſperauerit alter,
Si non uana ſuo carmine Daphnis ait.
Daphni tuum gelidas omen diſperdat in auras

Pan,

Pan, rapido & iubeat flamine ferre notos.
Ecce iubet mihi ſigna dedit, mihi fiſtula nota,
Et dulci auditur uox Tegeæa ſono.
Niſa fugit pulchrà ſe credere certa Myconi,
Coniugium Arcadia hoc iudice Niſa probat.
Iam ualeat Daphnis: ualeant ſua carmina: iam iam
Niſa Mycon tuus eſt: eſt tua Niſa Mycon.

Ad Marcellum Ceruinum II. Pontif. Max. Alexander Ferratius.

Dum uariant patrum mentes, quibus infula ſacrum
Puniceo uelat murice tincta caput:
Quæritur & magni magno conamine Petri
Concuſſam uentis qui regat arte ratem:
Ecce Deus tandem miſeratus, in æthere Sanctam
Ipſe ſuam cæli miſit ab arce crucem.
Vt ſuus ad fontes, & paſcua duceret olim
Inſignes niueo uellere paſtor oues.
Et celer impauidis peragraret curſibus orbem
Cerua hydros perdens cornibus, ore, pede.
Crux te Roma reget, uitium procul exulet: oris
Inq; herebi celeres ponat ab urbe pedes.
Omnia nunc cedant pietati: ſummus ab alto
Armatus ſancta iam cruce paſtor adeſt.
Illa fretus aget ſuperato ex hoſte triumphos
Maiores, quàm quis uidit ab arce Iouis.

Parti hi terrenis; illi cæleſtibus armis ;
Roma tuum nomen iam ſuper aſtra feres.
Sed tamen ò cura, & uigila pater optime; quàm te
Vndiq; circunſtent multa pericla uides.
Quæ tibi ſunt ſuperanda Deo duce, & auſpice; ſeruos
Quem conſtat nunquam deſeruiſſe ſuos.
Tu modo fac noſtris ab ouilibus optime paſtor ;
Placet ut æternos uictima grata Deos.
Pelle lupos nec te pigeat compellere in unum;
Et læto errantes gramina paſcere oues.
Vt nec Saturni uincant tua tempora diui ;
Aurea quem perhibent ſæcla tuliſſe ſuis.
Regna nec illius ſtrauit; qui membra gygantis
Contundens fundæ fulmine grande caput.
Cæleſti cuius perfuſum nectare pectus
Sic habuit faciles in ſua uota deas.
Dum cythara ſummi Patris; dum carmine laudes
Aduentum Nati, fata benigna canit.
Ille ſuper celſum conſcendit limen Olympi :
Compleuit numeris dulcibus ora Deus.
Ille obitus illic ſignorum uidit, & ortus,
Vidit & immenſo ſydera fixa polo.
Diuorumq; choros illic: quæ cantibus ipſum
Collaudans celebrat lucida turba patrem.
Inde hauſit præcepta : quibus mortalia corda
Fingeret ad ueri regna ſuperna Dei.
Illic paſtorum ritus cognouit, & ipſe

Ad

Ad fontes pauit, pinguiaq; arua gregem
Cætera ſunt, quæ nos umbrarum ſomnia falſis
Illudunt ægros ſemper imaginibus.
Inſurgunt blanda, diraq; cupidine raptant
Ah nimium ficti pectora cæca boni.
At tu, cui ſolidè diuum pater ipſe, hominumq;
Pectora firmauit numine ſacra ſuo
En age dum priſcam mutatis moribus urbem
Reſtitue, ut magis, hæc luceat, atq; magis.
Ut tantis Petri tandem defuncta periclis
Iam teneat portus quaſſa carina ſuos.
Et tua dicatur uerè pulcherrima rerum;
Et rerum uerè ſit tua Roma potens.
Cuius ab exemplo uitæ inculpabilis ordo
Manet ad eoos, manet ad Heſperios
Hæc ſunt arma, quibus nobis pater omnia uinces;
Quæ ſacra tantum ſunt modo digna manu.
Et quibus extremi poſsis orientis ad horas
Signa ſalutiferi ferre beata Dei.
Hæc pater exerce tibi prima nota iuuenta
Eſſe quibus tantum uita beata poteſt.

In mortem eiuſdem Pontificis Alex. Fer.

Flauentes inter fruges ex æthere ſanctam
Viſa ferens ſuperum munere cerua crucem.
Abſtulit hanc fatum raptim, ſeu crimen iniquum.
O hæc non ſancta ſecula digna cruce.

Aliud Hieronymi Nigri Can. Patauini.

Dum Marcelle paras miſero ſuccurrere ſæclo,
Vix orbi oſtenſum te fera parca rapit.
Iure cadis, namq; ætherium ſpirantia numen
Non decet impuris hæc habitare locis.

Ad Lazarum Bonamicum Alex. Ferratii.

Qui reſeras fontes ſacros, uitæq; beatas
Et morum Phœbi lumine pandis opes,
Lazare magne tibi nullus iam certat, & omnem
Viciſti inuidiam, famaq; ad aſtra uolat,
O ego, ſi uires dederint in carmina Muſæ;
Quàm cupio laudes ſpargere ubiq; tuas.

Ad Eundem Alex. Ferratii.

Ardenti Latiæ ſtudio contexta tulere
Serta deæ magno munera digna Deo.
Non illa Heſperidum de ſæpibus, Alcynoiuè,
Sed de Parnaſi uertice lecta ſacro
Deſuper inſcriptum carmen: Tibi Lazare Nymphæ,
En cape, quas ornas; munera grata damus.
Tum genitus Maia ſummo ab Ioue miſſus, Alumno
Gaudet, & ingentem donat habere lyram.
Hac is fretus agit uentos plebisq;, patrumq;;
Hæc rigidas poſſet dulcè mouere feras.

Ad eundem, quem Almonem appellat eiuſdem Ferratii.

Collis in excelſo ſurgentis uertice ad auras
Stat domus antiquæ relligionis honor.
Hic ubi magna Pales ſeruat cum numine ſedes
Et latè circùm ſedibus arua procul;
Et frutices inter lætos & amœna uireta
Cuſtodes pecoris protegit, atq; pecus.
Hic ego proſpectans Phrygii ductoris ad urbem,
Mollia iucundè carmina ſæpe cano;
Ludere quæ ſolitus calamis pulcherrimus Almon,
Medoaci puro dum lauat amne gregem.
Almon frondoſis, Almon reſonabere ſemper,
His mea dum fuerit fiſtula grata locis.
Saluè formoſi pecoris formoſe magiſter,
Pan deus, & nymphæ cuncta benigna ferant.

Ad eundem cum uiueret.

Quantum ager Arpinas Ciceroni, atq; inclyta quantum
Palladis urbs Sancti Socratis ingenio,
Baſſani, & Pataui debet tibi gloria tantum,
Lazare, quando illis unus utrunq; refers.

Eiuſdem in eundem mortuum.

Baſſanum genuit, Pataui rapuere; cadentem
Defleuit paſsis ipſa Minerua comis.

Ingenii terras ornaſti lumine uiuus;
Cœli nunc ornas ignea templa uagi.

Aliud.

Lazarus hic hoc tumulo Baſſanus; quem dia mater
Dorothea egregio mixta Amico peperit.
Huius ui ſuada cœlo ſapientia lapſa, &
Humanis rurſum eſt condita pectoribus.

Aliud in eundem morientem Alex. Ferratii.

Lazarum ut aſpexit morientem fleuit Apollo:
Et fleuit paſsis calliopea comis.
Baſſani auditæ frondoſo in colle querellæ;
Mærentum queſtus crediti amadriadum.
Quin & ſæpè cauis eadem hæc uox reddita ſaxis,
Flebiliter binis ter repetita modis.
Quando erit ut ſimilem paſtorem audire canentem
In noſtris liceat Pan Tegeæe iugis?
Quando erit, ut cuiquam calamos inflare relictos,
Et liceat tanto digna ſonare uiro?
Syluarum ò decus harum, ò noſtri ſæpe doloris
Solamen iam iam Lazare docte uale.
Liquiſti hos montes, aliò migrabimus ipſæ;
Spes quoniam reditus non datur ulla tui.
Hac quercu formoſe diu tua fiſtula cantus
Spirabit, redolens dulcia labra, tuos.

Eiuſdem Ferratii.

Grande Mycon certamen erat cum Thyrſide nuper
Ereteui ad ripas; uel leue pignus erat.

Victorem lætus Leucippus laude Myconem
Dum tollit; Daphnis rumpitur inuidia.
Vati paſtores creſcenti Baccare frontem
Cingite, ne noceat lingua maligna bono.

Eiuſdem ad Pana. E Græco.

Daphnis harundinibus pulchris, qui candidus ornat
Paſtorum muſam, Pan tibi diue dicat.
Pocula bina, pedum, præfixas ære ſagittas,
Quaq́; olim pera dulcia poma tulit.

Eiuſdem.

Hos colles inter celſos, & flumina cultro
Sæpe cadit noſtro Pan tibi pinguis ouis;
At te diue, Mycon precor hoc: fælicia ſerues
Ocia paſtori, paſcua læta gregi.

Marſiæ, & Phœbi contentio eiuſdem.

Cæleſtem Satyrus uocat in certamina Phœbum
Cera compactis fretus harundinibus.
Capripedem uictor ſpoliat calamisq́;, cutiq́;:
Inſanæ Satyrus præmia mentis habet.
Audacisq́; Midas iudex certaminis aures
Tardas pro merito cæpit aſſelle tuas.

Midæ ſtoliditas.

Mente Midas nulla poſcens, quod tangeret, aurum
Ut fieret; uoti ſe reus ipſe necat.
Aurum fit diues, tactus cibus ore, manuq́;;
Inde fame dominus, conficiturq́; ſiti.

Ad Medoaci Nymphas. Ferratii.

Nymphæ montiuagæ, Nymphæ de uallibus altis,
Quæ blando huc uitreas murmure fertis aquas,
Leucippi formoſa rigatis & ora benigne;
Vnde canit Phœbo digna, nouemq́; Deis.
Tuq́; per ocultas uenas; qui proſilis antro
Fons ſacer inciſum hoc margine carmen habe.
Accola Medoaci fecit quod flauus Iolas;
Leuconoem queritur donec abeſſe ſuam.
Nymphæ montiuagæ, Nymphæ, fontesq́; ualete:
Illa ubi non etiam eſt, dulce quid eſſe poteſt?

O quæ ſacratum collem pia numina habetis;
Fertis, & hac inter florea rura pedes:
Si quando Alcippe Polibotæ nata capellas,
Hac aget, umbroſa & feſſa quieſcet humo;
Aſpirate auras, & odoros ſpargite flores;
A gregibus fures, & prohibete lupos.
Diciteq́; abſentem miſer, heu miſer uſq; Menalcas
Suſpirat, propriam nec tam amat ipſe animam.
Sed ſi præbueris te immitem, flebis; ab alto
Cum ſe illum audieris præcipitaſſe iugo.

De Roſæ colore, eiuſdem.

Purpureum quicunq; roſæ mirare colorem,
Nunc breuiter Cypriæ uulnera diſce deæ.

Mars

Mars Venerem, niueum Venus ipſa ardebat Adonin;
Quodq́; erat hæc puero, Mars erat ipſe Deæ.
Igne deæ Deus, at mortalis diua calebat:
Diſsimile his genus, at par tamen ardor erat.
Indignans puerum quærebat perdere Mauors,
Morte putans Veneris tollere poſſe faces.
Et iam marmoreum ſæuus cædebat Adonin,
Inficiens uariis pectora uulneribus.
Id Venus ut ſenſit, properans ſuccurrere amanti,
Spinoſæ illabens incidit illa roſæ.
Atq́; pedis teneras confixit ſaucia palmas;
Manauit pleno uulnere deinde cruor.
Sic prius alba rubro Veneris roſa ſanguine tincta,
Mutato in faciem verſa colore nouam.

Mauorti placuit Venus olim: Lucia Naldo,
Mille oculis iaciens ſpicula, mille faces.
Par decus his formæ, parq́; illis pectus in armis.
Sæpe Venus, nunquam læſit at illa uirum.
Quo magis æterno Naldus ſuccenſus amore,
Lux ſua cum tenebris iam premeretur ait.
I decus, i patriæ & ſæcli lux alma; Dione
Quæ magis es magno digna parente Ioue,
Dixit & hoc noſtri teſtis ſit marmor amoris:
Quo dominæ, & ueræ teximus oſſa deæ.
Libabo hic lacrymis: luctum hic ſolabor inanem:
Multa ferens multis lilia mixta Roſis.

Aliud

Aliud in eandem.

Gutture dum queſtus rumpit philomela canoro
Audiit à ſtygio Dis pater ipſe lacu.
Dixit, &, hoc libi ſit pulchrum Proſerpina munus;
Et philomela ſimul concidit exanimis.
Quam dum tartaream ſubuectat flumen, in unda
Iam media oblitus contum agitare Charon.
Et ſperare animæ cœperunt, ſedibus imis,
Et nigris lucis non habitare graue.
Tales edebant cantus philomela; ſepulchro
Parua ſub hoc paruo, quæ tumulata iacet.

Pan tibi nunc claudumq; ſuem, claudumq; iuuencum
Hic ubi Medoacus pinguia culta ſecat,
Flexibus & uariis flauas deuoluit arenas,
Mactandos uoueo Paſtor Ariſtoneus.
Vt mihi concedas ſtabulis armenta recluſis
A claudo paſci gramine tuta lupo:
Et mihi det pœnas pinu ſuſpensus ab alta,
Aut lacer in ſæuos incidat ille caues.

Fons ſcater hic gelidus: blando qui murmure ſomnum
Elicit: hic ſomno mollior herba uitet
Arborea hic umbræ, colles hic bracchia pandunt,
Veſtiri colles uiribus, atq; oleis.
Hoſpicium & quaſi promittent uenientibus ultro
Tempore quos omni cymba parata uehit.

Arquatæ

Arquatæ ſiccæ rupes, Theoliq; ualete,
Nam Galzignani plus loca Phœbus amat.

Muſarum quodcunq; uides eſt munus: earum
Ingredere o hoſpes, ſi pia ſacra colis.
Hic tibi fons, hic umbra, hic dulcia poma, ſimulq;
Liber hic, hic habitat Pallas, & alma Ceres.
Tecta licet circùm hic curas laqueata uolantes.
Ponere; ſolicitas temnere, & urbis opes.
Dum tibi ſit paruo contento uiuere, dulces
Naturæ, & uarias carpere ruris opes.
Quas paſsim uariis uolucrum cum cantibus offert
E Galzignano terra beata ſinu.
Quòd ſi forte uelis intus te quærere, dices
Hic eſt in ſuperis uitam agitare locis.

Hæc Petri Bembi effigies: ſed mentis imago
Cum ſuperis: ſcriptis uecta per ora uirum.
Iſmerius mira hanc Hieronymus arte Quirinus
Expreſſam hic poſuit ductus amicitia.

Hic, uolucris, fulmenq; Iouis, geminiq; dracones
Gonziaco haud temere hæc ſunt tria poſta ducis.
Fulmen ab Arctoïs parat huc Iouis armiger oris
Sub quo Sforziacus iam draco tutus erit.

Ad Dominum.

Pendentem aſpicio quoties te maxime regum,

Et tacita mecum uulnera mente agito.
In ſontes oculos cupio manare: nec inde
Poſſe aliquid ſolui pro pietate reor.
Tu cœli, terræq; ſator, tu ſydera nutu
Qui torques, patet cui pia turba poli.
Tantus amor noſtri, cœlo deſcendis, & ante
Sæcula, es enatus uirgine, qui fueras.
Nec minus es, quam nos paſſus frigusq;, caloremq;,
Humano ut uitam morte dares generi.
Morte inquam, uidit qua nil crudelius unquam
Sol, cinctum radiis occuluitq; caput.
Hanc ego contemplans utinam Rex max. regum
Sic Maieſtatis tangat amore tuæ
Ut mihi ſis quicquid uideoq; optoq;, animoq;
Concipio, & ſine te ſit mihi dulce nihil.
Sit mihi dulce, tua aſpicio cum uulnera, flere,
Viuere ſit tecum, ſit mihi dulce mori.
Omnia cum domino cæliq;, herebiq; potente
Sint mea, & in Domino ſpes mihi ſola meo.
Cætera ſint, ut ſunt umbrarum ſomnia: nobis
Luceat ut ueris lumen imaginibus.

Ad diuum Paulum.

Paule dei quondam cœli de nube coruſca
Horriſona ad ritus uoce uocate pios.
Quæ ſimul audita eſt, cæca tibi nocte iacenti
Sedibus apparuit lumen ab ætheriis.

Phœbo ſplendidius lumen: quo ſacra repente
Soli nota Deo ſunt patefacta tibi.
Vere Dei interpres pro me nunc Paule precare,
Diuino ut pectus ardeat igne meum.
Pro merito ingenti ut ſuperum incendatur amore,
Et faciam Chriſti iuſſa obeunda pii.
Scis hominem nihil eſſe Dei ſine numine; ſcis tu
Hoſtibus & cœli ſæpe patere fores.
Huc age Paule, piis precibus ſi flecteris, & ſi
Corde placet ſuperis uictima nulla magis,
Fac illabatur uelocibus excita pennis
Gratia; & in noſtros ſpiritus ille ſinus.
Quo pleni terras, cœlum, mare, transq; uolantes
Sydera, cum magno iungimur uſq; Deo.
Paule tuis utinam precibus labatur ab alto
In me amor, ardentes uentilet, atq; faces,
Et gentes ſimul, & populos tua uiuida uirtus
Reddidit optanti munera grata Deo.

Pro reditu Muſuri ex Creta.

Veniſti bone Marce, decus bone Marce tuorum,
Veniſti, & tecum ſoſpes uterq; parens.
Nec mea uota Deis non ſunt audita marinis,
Læto animo quæ nunc perſoluenda mihi.
Et primum magni Iouis incunabula uerſus
Multa mari ſupplex cum prece thura dabo.
Deinde ubi in Adriaco mactaro littore tauros

Ante aram, uiridi ceſpite quam ſtatuam.
Nigrum Neptuno, Zephyris felicibus album,
Nobis tam chari pro reditu capitis.
Si Muſæ lætis Marcum aſpicietis ocellis,
Hæc eadem à nobis uos quoq; ſacra manent.

In eundem mortuum.

Creta Iouis genuit Marcum, docuere ſorores
Muſurum, nunc hic maxima Roma tenet.

In eundem.

Ingenio, linguaq; excellens Marcus utraq;,
Muſurus magni ciuis ab urbe Iouis,
Hic iacet, ah quantis Muſæ ſenſere Latinæ,
Ah quantis Graiæ uulnera cum lachrymis,
Nam duce Muſuro caſtris per mutua uinctis
Barbariæ arcebant uim procul, atq; luem.
Fors decora antiquæ, & reparaſſent perdita gentis,
Si data tanto eſſent mollia fata duci.

Hic tibi primus amor Daphne Peneia Phœbe
Brenzoni cura conſita ubiq; uiret.
Tu quoties ſacras Benaci inuiſeris undas,
Huc almo ſemper Phœbe tepore ueni.

Ambracio egreſſæ portu dum robora claſſis

Turcarum

Turcarum trepida dux fugit ipſe fuga.
Stat contra, hisq; globis icta eſt Cornelia nauis,
Quos poſuit laudis hic monumenta ſuæ.

Ex auro magni, quam nobis regis, imago
Miſiſti, clari ſtat in honore loci.
Inter Virgilium poſita eſt, atq; inter Homerum.
Par argumentum cum ſit utriq; pari.
Nos quoq́; ſi tanto dabimus pro munere quondam,
Te ſimul, & tanto carmina digna duce,
Gemmas, atq; aurum dabimus ſuperantia: quippe
Hæc nullum abſumit tempus, at illa breue.
Quòd ſi muſa meis non fauerit optima uotis;
Grato animo æquabo munera miſſa meo.

In mortem Philomelæ.

Cecropios edocta modos Philomela, canendo
Altera quæ ſyren, altera muſa fuit,
Cui uolucres circum mirantes carmina cunctæ
Ceſſere oblitæ, dum canit illa, ſui.
Continuitq́; gradum properans tum ſæpè uiator;
Conſtitit ipſe ſuo & flumine Medoacus.
Delin ita etiam dulci Proſerpina cantu
Ad ſtygios rapuit gaudia noſtra lacus.
At Dominus tantæ uolucris perculſus amore,
Huic docta erexit digna ſepulchra manu.

Alexander

Alexander Ferratius ad Alexandrum Campeſanum.

Dum tibi rem gratam facio, mea commoda uotis
Campeſane tuis poſtmittens omnia longè;
Et conor cæcis Bonamicum excire tenebris
Lazarum, ut ætherei cœli ad conuexa reuectus,
Dulcibus alloquiis interuerſetur amicos;
Ipſe ego fermè adii furui loca cæca profundi;
Et regem Cretæ ius dantem lumine caſsis.
Nanq; ſenem noſtrum quærendo ſedulus alta
Nocte diu; tetra obductum caligine tandem,
Vix ueſtigo oculis; ille autem nos ubi contra
Conſpexit, ridens mihi ſe ſubtraxit: amanter
Per latebras quem uoce uocans, uarioſq; receſſus
Dum ſequor, incautum excepit; meq; ore trifauci
Terruit, horrendum latrans; & dente momordit
Cerberus; extinxetq; etiam crudeliter: at me
Accurrens rabido eripuit Proſerpina monſtro:
Cui nigram, ſterilemq; prius de more iuuencam
Mactaram, ritè inuergens libamina fronti;
Cœpta ſecundaret noſtra ut, reditumq; iuuaret.
Hæc noſtram præſens produxit munere uitam
Diua ſuo; ſetaſq; canis de pectore uulſit
Tartarei; & nectens curauit uulnera doctè
Viroſi dentis: ſic me mihi reddidit: atq;
Vix trepidans ſuperas auras; cœlumq; reuiſi.
Sed quid ſit cauſæ, cur nos aufugerit ultrò

Lazarus;

Lazarus; & tacitis ſeſe occultauerit umbris,
Abs te ſcire uelim, mi Campeſane; tuumq;
Iudicium exquiro: Neq; enim pater amplius ullus,
Quos genuit natos, dilexit pectore firmo;
Quàm nos ille: pio quo te quoq; fouit amore.
Non ergo hoc odio noſtri feciſſe, putandum eſt:
Adde, quòd & ridens latuit nos: quid fuit ergo?
An ne hoc fortè putas? quòd iam cùm carperet auras
Vitales, ſua contempſit ſit omnia, nullis
Auribus, aut doctis oculis ut digna putaret?
Inde ſciens, prudensq; ſui ſub luminis oras
Ingenii partus nullos emiſit: eorum
Ridebat ſtudium; quot quot fors murmura uulgi
Mouiſſent famæ cupidos; & gloria turgens
Inflaſſet, uacuis ſcriptis ſibi quærere nomen:
Vnde terat lector bona tempora, non ſine damno:
Scriptoresq; ipſos maculis infecta ſequatur;
Et fruſtra reuocans maleſanos fama laboris,
Ipſe tamen quantùm poſſet, quæ neſcia pars eſt
Europæ magnæ; aut duro gens effera cultu?
Quis culto ingenio iuuenum non auribus hauſit,
Clari ex fonte uiri; cæleſtiq; ore tonantis?
Cùm magnus fieret diuerſo ex orbe quotannis;
Vt Phœbi ad Tripodas olim; concurſus ad ipſum;
Dum Pataui ad celebrem ſtudiis florentibus urbem,
Actæo, & Latio deducit uertice Muſas;
Et ſua cum Muſis unà ſacra omnia? quæ mox

Edocuit

Edocuit claro monſtrantis lumine Phœbi:
Exquirens nitidi perpulchrè inuenta Lycæi,
Inq; Academia duri ueſtigia plantis
Socratis impreſſa; & diuini effata Platonis;
Propter aquæ riuum ſacræ; patuliſq; ſub altè
Surgentis platani ramis; ubi frigus opacum
Captantes Heroes fœlici ſydere quondam
Naturæ latitantis opes fodere; canoros
Cœlorum motus; ſimul & flammantia mundi
Mœnia; fraterno Lunam ſplendeſcere uultu:
Quo reuolet curru pernix Sol, aut quibus alis,
Aeterna refouens frigentes lampade terras;
Cognouere acie mentis: quin ſcandere cœlum;
Et licuit diuûm uultus ſpectare nitentes;
Et benè purgato calamo quoq; pingere chartis:
Hinc docuere boni, qua quis ratione Deorum
Naturam induere, & ſedes habitare beatas;
Hoc eſt, in terris ſecuro tramite uitam
Ducere fœlicem poſſet ſine labe malorum.
In quibus inſiſtens, animos ardore replebat
Lazarus ingenti iuuenum uirtutis; ad ipſam
Commoſtrans facileſq; uias; aditusq; patentes.
Iucundo eloquio: nullum quo purius aurum;
Non nix candidior; non ſit mel dulcius ullum.
Atq; utinam in noſtra hæc uixiſſet tempora, quando
Publica Res Chriſti nodis, & fœdere pulchro
Coniuncta, & uigili cura Paſtoris in hoſtem

Communem forti properaret pectore, & armis,
Immanis Turcæ rabiem, claſſemq́; fremendam
Armis effractam noſtris, & numine Diuûm;
Exuuias paſſim deuicto ex hoſte ſuperbas
Vidiſſet, certamq́; hauſiſſet pleno animo ſpem;
Iam fore, ut Europa è preſsis ceruicibus aſpri
Excutiat, ſuperûm dono iuga dura tyranni:
Et Danaûm priſci rurſus reparentur honores.
Mox Aſiæ, Libyæq́; ampla, & ditisſima regna
Suſceptura iterum Chriſti uexilla, fidemq́;
Et ueros cultus, pulſa caligine mentis:
Cùm Deus oppreſſam miſeratus Dæmone gentem,
Fregerit horrendum corpus: cùm fœda Draconis
Viſcera Maumetis toto diſcluſerit orbe.
Non ſecus, ac denſas nubes, madidasq́; tenebras,
Orbe ſuper miſero nimiùm quandoq; morantes
Disrumpunt ualidi flatus Aquilonis; & amplo
Vndiq; diſcutiunt cælo; radiantia ſolis
Lumina cùm reddunt terris, mentesq́; ſerenant.
Hoc unum Bonamice tibi ſuper omnia uotis
Optabas; unum ſemper longa prece diuos
Orabas: ſemper fuit hæc tibi ſubdita cordi
Hiſtoria. Hanc Graiis, hanc commendare Latinis
Vouerat, & ſcriptis calamos aptauerat arte
Lazarus: At mirè incenſum ſpes luſit inanis.
Tunc uerò niuei manarent flumina lactis
Tanti ex ore uiri: tunc gemmis anteferenda

Scripta ſenis docti, priſcum referentia lumen
Doctorum; & priſcis non inferiora putares.
Sed quia protacta eſt tantarum gloria laudum;
Nec potuit cupiens tanti monumenta laboris
Conſpicere; & nitidis pangens ſacrare Camœnis.
Qualis in Hyblæo, latè aut redolentis Hymetti
Fulmine ſueuit apis, ſemper florentibus hortis
Condere mella fauis; natosq; educere adultos
Prata per; & circum uiridantia rura uolatu,
Dulce ut carpentes diſcant ſibi condere nectar.
Hic bonus interea ueterum per amœna uirorum
Rura, legens flores, & fructus condit honeſtos;
Vitamq;, & mores iuuenum componit; & aptè
Auribus inſtillat linguæ decora ampla Latinæ;
Et Graiæ uarias dotes, mirasq;, & opum uim:
Nunc humilis ſermone graui, leniq; decoram
Virtutis faciem monſtrans: nunc rurſus ad almam
Virtutem incendens animosq;, ignesq; ſepultos,
Grandibus aſſurgit uerbis, tonat ore, iacitq;
Fulmina cum tonitru, raptat mentemq;, animumq;;
Et ſtimulos altè fixos in pectore linquit.
Cæterà fraude procul, longè procul ambitione
Cum charis ſemper Bonamicus iure beatam
Iucundo uitam curſu ducebat amicis:
Illudens uulgus; quoſcunq; & plauſus hiantes
Corripit inſani uulgi; ceu ſomnia mentis
Aegrotæ; aut blandæ fallentia carmina Circes.

Hæc